

nus, puta remissus in intensione, augeat gratiam acceptam ex opere quod accidentaliter fuit majus, quia scilicet fuit intensius et ardentius? Ita Suarez, *Com. III De Gratia*, lib. IX, cap. III, num. 36.

Denique significat hic Christus, nullum opus, licet minimum, predicatori impensum, carit-

rum sua mercede. Talia autem sunt opera remissa, qualia plurima faciunt justis, ac proinde plurimorum operum mercedem perderent, si opera remissa non augeant gratiam intensiorem (pauci enim tam intensos actus eliciunt, ut habitum adaequant vel excedant), cujus tamen contrarium hic docet Christus.

## CAPUT UNDECIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, Joannes Baptista per discipulos quaerit a Christo, an ipse sit Messias? Christus, non per verba, sed per facta, puta per miracula respondet se esse Messiam. Secundo, vers. 7, Christus laudat Joannem quasi Angelum, quo inter natos mulierum nullus sit major. Tertio, vers. 16, arguit Judaeos, quod tam se, quam Joannem expulerint. Quarto, vers. 21, diras intentat civibus Corozaim et Capharnaï, quod eo toties audito visisque tot signis, non crederent. Quinto, vers. 23, docet Deum se suaque non nisi humilibus et mitibus revelare et communicare.*

1. Et factum est, cum consummasset Jesus, praeciens duodecim discipulis suis, transit inde ut doceret et praedicaret in civitatibus eorum. 2. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis, 3. ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 4. Et respondens Jesus ait illis: Eantes renuntiate Joanni quae audistis et vidistis: 5. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: 6. et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. 7. Illis autem abundantibus, cepit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. 9. Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. 10. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. 11. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno caelorum, major est illo. 12. A diebus autem Joannis Baptistae usque nunc, regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. 13. Omnes enim Prophetae et lex usque ad Joannem prophetaverunt: 14. et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. 15. Qui habet aures audiendi audiat. 16. Cui autem similem astimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coaequalibus, 17. dicunt: Cecinimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non planxistis. 18. Venit enim Joannes, neque manducans, neque bibens, et dicunt: Daemonium habet. 19. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax; et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis. 20. Tunc cepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam. 21. Vae tibi, Corozain; vae tibi, Bethsaida; quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. 22. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sydoni remissius erit in die iudicii, quam vobis. 23. Et tu, Capharnaum, numquid usque in caelum exaltaberis? usque in infernum descendes; quia, si in Sodomis factae fuissent virtutes quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. 24. Verumtamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissius erit in die iudicii, quam tibi. 25. In illo tempore respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. 26. Ita

Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. 27. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. 28. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. 29. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris: 30. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

4. ET FACTUM EST, CUM CONSUMMASSET JESUS, PRAECIENS DUODECIM DISCIPULIS SUIS. — Est Graecismus. Ponitur enim participium pro infinitivo vel gerundio, praeciens pro praecipere, q. d. Cum finem fecisset praeciendi, vel, ut Graece est, διατάξας, id est ordinandi et instruendi Apostolos, tam praecipis quam consiliis, tam malorum praedictionibus, quam bonorum promissionibus. Ita Maldonatus, Jansenius, Franciscus Lucas, Baradius et alii.

TRANSIIT INDE. — Separans scilicet se ab Apostolis, quos seorsim misit evangelizare, tum ut ipsi Christo secuturo viam praepararent docendo et miracula patrando, tum ut ipsi sui suaeque virtutis periculum facerent in hac missione, separati a Magistro. Porro, quid fecerint Apostoli ita a Christo missi et dimissi, tacet Matthaeus, sed narrat Lucas, IX, 6, et Marcus, VI, 12.

UT DOCERET ET PRAEDICARET IN CIVITATIBUS EORUM, — scilicet Galilaeorum, sive Judaeorum, ad quos capite praecedenti misit Apostolos; sed ita, ut ipse quoque seorsim ab eis iret per urbes eorundem praedicatum. Nota Hebraismus: Hebraei enim pronomini relativi vel demonstrativi (quale est eorum) antecedens non exprimunt diserte, sed illud ex circumstantiis et quasi notum lectori, vel auditori intelligendum relinquunt. Simile est Ps. xcviij, 8; IV Reg. xvij, 24; III Reg. V, 3, et alibi.

2. JOANNES (BAPTISTA) AUTEM CUM AUDISSET IN VINCULIS OPERA CHRISTI. — «Cum audisset» a discipulis suis, ut ait Lucas, VII, 18, ex quo pariter liquet hic esse hystero-logiam, et quae hic de Joanne narrat Matthaeus a vers. 2 ad 20, contigisse ante missionem Apostolorum, quam ipse recensuit cap. x.

IN VINCULIS. — Syrus, in domo vincitorum, puta in carcere, ubi enim incluserat Herodes, eo quod ipse cum Herodiade adulterium reprehendisset. Igitur paulo ante suam mortem et martyrium, Joannes misit hos discipulos ad Christum, anno 32 aetatis Christi, qui fuit annus secundus praedicationis ejusdem, cum jam Christus per doctrinam et miracula inclaresceret, ut ab illo discerent ipsum esse Messiam sive Christum, ac se occiso et mortuo, ad illum transirent: alioqui enim schisma a Christo facere potuissent, praepoentes Joannem velut magistrum suum Christo; nam majora ipsos sensisse de Joanne quam de Christo liquet Matth. ix, 14. Sicut ergo cursores in stadio, decursa meta, alteri ad cursum sequenti lampada

tradunt; sic Joannes defunctus suo munere et praedicatione, illam resignavit Christo. Et sicut aurora occumbens desinit in solem orientem, sic Joannes desinit in Christum; fuit enim ipse Lucifer solis justitiae, puta Christi. Quare adeo non invidit Christo gloriam orientem cum suo occasu, ut in eo gavisus sit; imo occumbere optavit, ut Christus oriretur; non enim ipse sum, sed Dei Christique gloriam amiebat; unde ait: «Illud oportet crescere, me autem minui.» Joan. III, 30.

3. AIT ILLI: TU ES QUI VENTURUS ES, AN ALIUM EXPECTABIS? — «Qui venturus es,» Graece ελθεις, id est ille veniens, hoc est venturus, magnus scilicet ille Propheta, redemptor Israelis et salvator mundi, puta Messias ab omnibus Prophetis promissus et a Patribus avidissime desideratus, qui hoc tempore, expletis de eo prophetiis, quasi jamjam venturus ab omnibus expectatur. Alludit ad oraculum Patriarchae Jacob, Gen. xlix, 10: «Non auferetur sceptrum de Juda, etc., donec veniat qui mittendus est,» puta Messias.

EX HIS JOANNIS VERBIS Tertullianus, lib. De Baptismo, cap. x, et lib. IV Contra Marcionem, xviii, et Justinus, Quaest. xxxviii ad Orthodoxos, opinantur Joannem dubitasse de Jesu, an ipse esset Messias sive Christus, sed peperam; nam jam in baptismo Christi, Joannes eum baptizans, viderat Spiritum Sanctum specie columbae in eum descendentem, ac vocem Patris audivit: «Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.» Matth. iii, 17. Quocirca Joannes clarissimum dederat ipsis testimonium, dicens: «Ecce Agnus Dei.» Joan. I, 32.

Alii opinantur Joannem non dubitasse quidem quin Jesus esset Christus, sed interrogare hic duntaxat, an ipse post mortem sit venturus in limbum, ut se propediem post mortem eo abiturum, ac Patres in eo degentes visitet et liberet. Ita S. Hieronymus, quem aucti: «Non ait: Tu es, qui venisti, sed: Tu es, qui venturus es. Et est sensus: Manda mihi, quia ad infernum descensus sum, utrum te et inferis debeam nuntiare, quia nuntiaui superis? an non conveniat Filio Dei, ut gustet mortem, et alium ad haec sacramenta missurus es?» Et S. Gregorius, hom. 6: «Non dubitat, ait, esse mundum redemptorem, sed quaerit an sit ad inferni claustra descensusus.» Verum hoc quoque minus appositum et probabile videtur.

Vers. 3.  
Luc. VII.  
19.

Joannes  
non dubi-  
tavit Jo-  
annem esse  
Messiam.

Joannes  
a carcere  
misit  
discipulos  
ad Christum.

Sed dantes discipulos in stravit a Chris-

Dico ergo: Joannes mittit discipulos, ac rogat Jesum, an ipse sit ille, « qui venturus est, » id est an ipse sit Messias, non quod de eo dubitaret, sed quod morti vicinus, discipulos de eo dubitantes voluerit instrui et ad Christum traduci. Ita S. Hilarius, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Rupertus et alii: ubi nota prudentiam S. Joannis; ipse enim nomine suo interrogat Jesum, an ipse sit Christus, quia discipuli ex se non fuissent ausi hoc proponere Christo: nimirum optimus est medicus, qui ut aegrotum curet, se quoque fingit aegrotare, et medicinam austeram sumit. Unde S. Paulus: « Quis infirmatur, inquit, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? » II Cor. xi, 29.

4. ET RESPONDENS JESUS, AIT ILLIS: ECUNTES RENUNTIATE JOANNI QUE AUDISTIS ET VIDISTIS. — « Quae audistis, » scilicet ab astantibus narrari miracula a me facta; « et vidistis, » quae scilicet praesentibus vobis feci, ut vestrae quaestioni non verbo, sed facto et re ipsa responderem. Testimonium enim a rebus efficacius et credibilis est, ait S. Chrysostomus, haec enim miracula, quae vidistis me facientem, sunt indices veri Messiae assignati ab Isaia, xxxv, 3, et lxi, 1. Unde Lucas, vii, 21, addit: « In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis et spiritibus malis, et caecis multis donavit visum. » Nec enim Elias, nec Eliseus, nec Moyses, nec quis alius Propheta tot ac tanta fecit miracula, quot Christus; ut ex eis ipse agnosceretur ceteris omnibus esse major, esseque Messias ab Isaia hoc indicio praemonstratus. Unde S. Cyrillus, lib. II *Thesauri*, cap. iv: « Christus, inquit, miraculorum magnitudine simul et multitudine ostendit se Messiam esse; » adde et beneficentia. Haec enim Christi miracula omnes infirmos et infirmos sanabant: Moyses vero, licet miracula plura ediderit in decem plagis Aegypti, tamen his non sanavit, sed potius afflixit et occidit Aegyptios, *Exod.* vii et seq. Christus vero « transit beneficiando et sanando omnes oppressos a diabolo. » *Act.* x, 38. Hoc ergo fuit certum indicium ipsum esse Messiam. Quocirca manus illius dicuntur *tornatiles*, id est versatiles et agiles ad beneficiandum omnibus, *plum hyacinthis*, id est caelestibus operibus, miraculis et beneficiis. *Cant.* v, 14. Vide ibi dicta.

5. CAECI VIDENT, CLAUDI AMBULANT, LEPROSI MUNDANTUR, SURDI AUDIUNT, MORTUI RESURGUNT, PAUPERES EVANGELIZANTUR. — Alludit, imo citat illud Isaia, xxxv: « Deus ipse venit, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua aurtorum. » Et cap. lvi, 1: « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, » etc.

PAUPERES EVANGELIZANTUR. — Theophylactus et Euthymius ad *evangelizantur* capiunt active, q. d. Pauperes Apostoli evangelizant et praedicant Evangelium: verum *evangelizantur*, id est *evangelizantur*, est verbum passivum, non activum; unde Syrus: *Pauperes evangelizantur*. Sensus ergo est, q. d. Ego Evangelizo pauperibus, hisque praedico Evangelium, ipsique illud avidè recipiunt, cum divites illud respiciunt; pauperes enim cum sint inopes in terra, sperant ambiantque opes caelestes, quas promittit Evangelium. Alludit, imo citat illud Isaia, lxi, 1: « Ad annuntiandum mansuetis misit me, » ubi Septuag. pro *עניים* *anavim*, id est mansuetis, legentes *עניים* *anim*, id est pauperibus, vertunt a ad evangelizandum pauperibus misit me. » q. d. Pauperibus non coactis, sed pauperibus spiritu et voluntariis, ac consequenter mitibus et mansuetis, ut vertit S. Hieronymus, *Isai.* lxi, annuntiat et promittit gratia, caeteraque bona Evangelii, et regnum in caelis aeternum, quod ut mundo paradoxum est et valde mirum, ita proprium est Messiae indicium ab Isaia assignatum. Simpliciter per pauperes accipias inopes, scilicet Apostolos, discipulos et turbas; hisce enim praedicebat Christus, ut ostenderet animas pauperum coram Deo tam pretiosas esse, quam divitum, ideoque Christum utrosque aequare in Evangelio, Ita S. Hieronymus. Vide dicta Isaia, lxi, 1. Vis ergo Christura imitari? pauperes doce, dirige, solare, juva.

6. ET BEATUS EST, QUI NON FUERIT SCANDALIZATUS IN ME. — Qui, scilicet, non fuerit mea humilii conversatione et abiectione offensus. Syrus. *Felix ille, qui non impegerit in me*; quia, ut ait S. Gregorius, *hom.* 6: « Mira quidem facio, sed abjecta perpeti non dignor. » Tacite notat discipulos Joannis, qui illa offendebant, ac significat se eorum corda et mentis arcana perspicere. Ita S. Chrysostomus et S. Hieronymus, *epist.* 151 ad *Algasium*, *Quest.* 1: « Non Joannem, ait, sed discipulos ejus percudit. » Unde Glossa ad « qui non fuerit scandalizatus » exponit: Qui de divinitatis meae potentia non dubitaverit. Et S. Gregorius, *hom.* 6 in *Evang.*, ait infideles scandalizatos fuisse in Christo, cum post tot miracula mortentem in cruce viderint. Sic et Hilarius: « Quia futura erat crux plurimis scandalum, ait, beatos eos professus est Christus, quorum fidei nihil tentamenti deferret crux, mors, sepultura. »

7. ILLIS AUTEM ABRENTIUNT. — Ne turba putaret Christum adulteri Joanni ejusque gratiam capere, ait S. Chrysostomus, si coram ejus discipulis ipsum laudasset, ideo permisit eis prius abire, deinde coram populo eum laudavit, ut populus testimonio Joannis, quo testatus erat ipsum esse Christum, fidem adhiberet, dum intelligit a Christo Joannem esse virum divinum, et quos Angelum e caelo lapsum.

COEPIIT JESUS DICERE AD TURBAS DE JOANNE :

QUI EXTENDIT IN DESERTUM VIDERE? ARUNDINEM FRATO AGITATAM? — Graece *καταρραγμένη*, id est *undantem et fluctuantem*, instar undarum et fluctuum maris. Simili metaphora segetem vocamus fluctuantem, dum vento impellente huc illoque agitur. Christus removet suspicionem, quae populo ex hac legatione Joannis obrepere potuisset, scilicet, Joannem mutasse sententiam suam de esu, ut cum prius eum putarit esse Messiam, iam de eo dubitet, ideoque discipulos id interrogatum ad Jesum miserit. q. d. Ne putetis, o Judaei, Joannem aliter de me nunc sentire, quam ante senserit; Joannes enim non est arundo quae vento huc et illic agitur, ut leviter aliquid asserat, ac postea idipsum ob dicta hominum reciprocet et revocet; sed est velut quercus, quae immota in veritate et constantia contra omnia laudantium et detrahentium flabra consistit, ut quod prius, cum liber esset, tanta libertate de me sensit et testatus est, idipsum nunc carceri ab Herode inclusus pari fortitudine sentiat et testetur, nec ob metum Herodis sententiam mutet, ideoque discipulos suos ad me misit, ut ipsi reipsa ex miraculis videant testimonium ejus de me esse verum meque esse Messiam. Quin et vos ipsi qui Joannem toties loquentem et praedicantem audistis, creditis illum non esse virum levem, qui mutetur ut arundo, sed serium et constantem, qui a Deo agitur, ut quod semel dixit, hoc semper dicat; ideo enim et domibus vestris in desertum Joannem visuri et audituri existis, utique non exiuri, nisi illum talem crederetis. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Cyrillus, Beda et alii.

Per arundinem ergo primo, cum S. Gregorio, *hom.* 9 in *Ezech.*, mentis instabilitatem; secundo, cum S. Chrysostomo, inde nascentem doctrinam et praedicationis inconstantiam accipe.

Arundo enim est, qui leviter quid credit ob rumores hominum, ideoque ob contrarios rumores leviter discredit et sententiam mutat. Arundo est, qui ob laudes hominum pietatis officia colit, sed ob irrisionem aliorum mox eadem omittit. Arundo est, qui ob lauta promissa doctrinam veram praedicat, sed ob aliorum minas eandem subicit, vel in dubium revocat. Arundo ergo est inconstantiae et inconstantis imago et symbolum, aequè ac polyptus, vespertilio, Euripus, ventus, mulier; unde adagia: « Polypti mentem habet; Euripus homo; mulieris animus; vento, chamelonne, Proteo, vespertillione mutabilior; coelurno versatillior; duabus sedet sellis; aliud dicit stans, aliud sedens. »

Tropologicè: arundo est homo levis, varius et iactabundus, qui primo nunc verbis adulantium et laudantium impulsus aliquid asserit, nunc verbis vituperantium et inanantium adactus idem negat, sicut arundo ventis contrariis in contraria agitur; secundo, qui veritate, virtute et constantia est vacuus, sicut arundo inanis est et me-

dulla vacua; tertio, qui nullum boni operis fructum edidit, sicut arundo est infrugifera; quarto, quia fluxu mundi et fluxus ejus voluptatibus oblectatur et pascorit sicut arundo; quia arundo sicca, juxta aquas crescit et pascorit: unde ejus epithetum est, ut vocetur *fluvialis arundo*; quia de re eleganter et pie scribit S. Augustinus, in *Psal.* cxxxvi, 1, ad illa: « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion; » Flumina, ait, Babylonis sunt omnia quae hic amantur et transeunt: « Sede super flumina, noli sedere in flumine, noli sedere sub flumine. Ecce in Babylonia pulchra sunt, quae tenent, non te teneant, non decipiant, » etc. Audi Autorem *Imperfecti*: « Omnis homo carnalis, vacuus in fide, levis in sensu, mollis in passivibus, arundo est. »

Audi S. Gregorium, *hom.* 6 in *Evang.*: « Qui dicit per arundinem, nisi carnalis animus designatur? Qui mox ut favore vel detractio tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit, hilarescit et extollitur, totumque se quasi ad gratiam inflectit. Sed si inde veniat detractiois creperit, unde laudis aura veniebat, mox eum quasi in partem alteram ad vim furoris inclinat. Sed arundo vento agitata Joannes non erat, quia hunc nec blandum gratia, nec ejuslibet detractiois ira asperum faciebat; nec prospera hunc erigere, nec adversa noverant inclinare. Arundo ergo vento agitata Joannes non erat, quae a status sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. »

Unde eum nobis imitandum proponens, subdit: « Non nos prospera elevent, non adversa perturbent, ut qui in soliditate fidei figimur, nequam rerum transeuntium mutabilitate moveamur. »

Audi S. Ambrosium, lib V in cap. vii *Luc.*, 24: « Negat Dominus in desertum, id est in mundum esse procedendum, ut mente carnis inflatos vacuosque virtutis internae nobis putemus imitandos, quos procellis mundi hujus obnoxios vita mobilis inquietat, jure arundini comparandos, in quibus solidae justitiae nullus est fructus, qui forensibus crinitis phaleris, nodis ostiis, vacuo oris strepitu sonori, nulla sui utilitate, frequentè etiam offensione, intus inania, foris speciosa sectantur. Arundines sumus, nulla va'dioris naturae radice fundati; et si levis aspiraverit prosperioris aura succosus, vago motu proximis verberamus, inopes ad suffragandum, faciles ad nocendum. Arundines fluvios amant, et nos labentia mundi caudicæ delectant. Tamen haec arundinem si quis de terra evellat plantatis, et superfluis exuat, expolians veterem hominem cum actibus ejus, et Scribae velociter scribentis manu temperet, incipit non arundo esse, sed calamus, qui praecipua caelestium scripturarum penetralibus imprimat mentis, tabulis cordis inseribat. »

Subdit deinde Ambrosius bonam arundineta

Arundo quis?

Arundo est inconstans.

Aleghi inconstans.

Tropel. Primo.

Secundo

Tertio.

Quarto.

esse Christum, de quo prophetatum est, Isaia xlii: « Arundinem quassatam non confringet: quoniam carnem, quam peccata quassaverant, resurrectionis virtute solidavit. Bona arundo caro Christi, quae serpenti caput et mundanae cupiditatis illecebras patibulo crucis affixit. »

8. SED QUID EXISTIS VIDERE? HOMINEM MOLLIBUS VESTITUM? ECCE QUI MOLLIBUS VESTIUNTUR IN DOMIBUS REGUM SUNT. — « Mollibus, » scilicet vestibus, ut addunt Graeca et Syrus. Mollibus vero vestiri, est deliciose vivere et epulari (uti faciebat dives epulo, qui quotidie induebatur purpura et bysso, et epulabatur splendide, Luc. xvi, ut ex hoc mollis et lascivus videri possit, ideoque mutabilis, quasi dicat: Joannes non est mollis et delicatus, non ambit mensas divitum Sibarum opparas, ut eas ambiens illisque adulans sententiam de me editam mutet et revocet, quia ipse non urbes et aulas, sed desertum quaerit; non mollibus vestitur et alitur, sed pills camelorum, locustis et melle sylvestri, ait S. Hieronymus; quare ipsum nec aula, nec aulica mollities, adulatio vel ambitio in transversum agent, quia ipse omnis mundanae gloriae, aeque ac voluptatum, velut eremita et coelicola, est contemptor iisque longe superior, utpote in ipsa veritate, ipsoque Deo et coelo mente defixus. Deliciose enim adulationis et falsitatis sunt magistrae, asperitas autem veritatis et sanctitatis est doctrix. Unde Tertullianus, in lib. ad Martyres: « Virtus, ait, duritia exstruit, mollitiae vero destruit. » Et S. Chrysostomus: « Qui mollibus, ait, vestiuntur in domibus regum sunt; qui vero talia non habent, in oculis sunt. »

Sic S. Franciscus, ait S. Bonaventura in ejus Vita, cap. v, vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat, asserens propter hoc Joannem Baptistam ore divino fuisse laudatum. Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, chorullis eam contexebat interius, quia non in casualis pauperum, sed in palatii principum, vestium dicebat requirendam esse mollitiem. Addebat daemones asperitate terri, mollitiae invitari. Lege vitas Sanctorum, ac intus et imitare eorum austeritatem vite, quae multum valet ad sanctitatem et sanctitatis famam apud alios conciliat, ut libere et efficaciter eis viam poenitentiae, mortificationis et virtutis praedicare, et suo exemplo persuadere valeat.

9. SED QUID EXISTIS VIDERE? PROPHETAM? ETIAM DICO VOBIS ET PLUS QUAM PROPHETAM. — Syrus, propheta praesentiorum. Objicies Joannes ipse negat se esse Prophetam, Joan. i, 21. Respondetur: id dicit ex humilitate, sed vero sensu, Propheta enim proprie dicitur, qui futura praedicit, uti facit Isaia, Jeremias caeterique Prophetae: Joannes autem Christum non futurum praedixit, sed praesentem ostendit. Christi ergo fuit index potius, quam propheta, ideoque Christum eum ait esse plus quam prophetam: Primo, quia ita

Ver. 9. Luc. vii. 34. Joannes plus quam propheta Primo.

Christum venturum praedixit, ut mox eum praesentem digito indicaret: fuit ergo ipse non solum propheta, sed et demonstrator Christi. Secundo, quia divino spiritu illustratus, Christum Christique in carne oeconomiam clarior, plerisque et perfectior, quam aliquis prophetarum cognovit. Tertio, quia ipse fuit Angelus, id est legatus et praecursor ipsius Christi, et immediate ab eo missus, idque coram eo et ante faciem ejus, juxta illud Malach. : « Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te, » uti subjicit Christus. Quarto, quia ipse major fuit omnibus omnino prophetis, uti asserit Christus, vers. 11.

10. HIC EST ENIM DE QUO SCRIPTUM EST: ECCE EGO MITTO ANGELUM MEUM ANTE FACIEM TUAM, QUI PREPARABIT VIAM TUAM ANTE TE. — Citat Christus verba Malachie, iii, 1. Vide ibi dicta: attuli enim ibidem causas et analogias, cur Joannes vocetur angelus, ideoque multi putarunt eum revera non esse hominem, sed angelum, teste Eusebio, lib. I Demonstr., cap. v. Unde Auctor Imperfecti hie: « Mirabilis, ait, fuit qui humana natura angelicam sanctitatem transgressus est, et obtinuit quod non habuit natura per gratiam Dei. »

11. AMEN DICO VOBIS, NON SURREXIT INTER NATOS MILLIUM MAJOR JOANNE BAPTISTA: QUI AUTEM MINOR EST IN REGNO COELORUM, MAJOR EST ILLI. — Lucas, vi, 27, addit propheta: « Non surrexit, ait, major propheta. » Unde Toletus ibidem ex S. Ambrosio et Hilario notat Joannem majorem a Christo dici non absolute, sed prophetam duntaxat, quia Apostoli eo majores fuerunt, vel certe ei omnino suppare. Verum ex ipso propheta Christus intelligendum relinquit, nullum alium Joanne fuisse majorem, quia propheta olim habebantur et revera erant viri sanctissimi; inde prophetae vocati sunt sancti quilibet, ut religiosi illi, qui in libris Regum nuncupantur filii prophetarum; quia ergo nullus prophetarum major fuit Joanne, inde colligendum relinquit neminem alium eo fuisse majorem.

Tacite ergo Christus hic Joannem vocat omnium maximum, alioqui enim non recte hinc concluderet Joannem esse plus quam prophetam, quod tamen probare intendit. Intelligit hoc de hominibus veteris Testamenti, praecedentis scilicet saeculi usque ad Christum. Non ergo Joannes hic comparatur cum Christo, B. Virgine vel Apostolis, qui Christum secuti sunt, et ob dignitatem Apostolicam Joanne non fuerunt minores, sed potius majores. Dices: Moyses fuit major Joanne, quia de Moysse dicitur Deut., cap. ult., vers. 10: « Et non surrexit ultra propheta in Israel, sicut Moyses. » Resp. ibidem additur: « Quem noscet Dominus facie ad faciem; in omnibus signis et portentis, quae misit per eum, ut faceret in terra Aegypti Pharaoni. » q. d. Non fuit similis propheta Moysi, similis, inquam, in isto familiari Dei alloquio et potentia, qua tot plagis percussit Aegyptum;

Ver. 10. Luc. vi. 27. Ver. 11. Luc. vi. 27.

Joannes omnium veteris Testamenti summus.

tum; in aliis autem rebus Joannes similis, imo major fuit Moysse caeterisque prophetis.

Primo, quia Joannes in utero matris fuit sanctificatus, et reipsa prophetavit; exultans enim in utero, nuntiavit matri et reliquis Christum jam esse incarnatum in utero B. Virginis. Ita S. Chrysostomus et Euthymius. Id autem non legitur de Moysse vel alio propheta.

Secundo, quia solus Joannes Baptismum poenitentiae instituit, eoque Christum baptizavit.

Tertio, ipse primus praedicavit regnum caelorum, multosque convertit et in illud induxit.

Quarto, ipse missus fuit a Deo, ut esset Christi praecursor et paranympus, eumque toti mundo ostenderet, ipsumque esse Messiam et unicum Dei Filium testaretur, quod officium et dignitates omnia prophetarum officia et dignitates longe transcendit.

Quinto, ipse a Malachia comparatus est Angelis, et multo ante natiuitatem promissus, ac per Eliam alioque prophetas fuit adumbratus, illi enim fuerunt typi Joannis.

Sexto, abundantior et sublimior fuit spiritus prophetae, vita et gesta Joannis, quam caeterorum prophetarum, teste S. Hieronymo, et S. Augustino, libro II Contra Advers. legis et Prophetas, cap. v. Joannes enim fuit quasi continuum miraculum, in conceptione, in utero, in natiuitate, in vita angelica; miraculo enim ex parentibus sterilibus conceptus fuit; miraculo, Christum in utero agnovit, salutavit et adoravit; miraculo nascens, commune omnibus gaudium afflavit; miraculo, in circumcissione patri muto loquelam reddidit; miraculo quae abiit in desertum, ibique tota vita vixit quasi angelus. Unde de eo canit Ecclesia:

O nimis felix, merisque celsi, Nesciens labem nivis pulveris, Praepotens martyr, eremippe cultor, Maxime Velam.

Habet ergo Joannes lauream virginitatis, prophetiae, doctoratus et martyrii. Audi B. Petrum Chrysologum, serm. 28: « Joannes schola virtutum, magistrum vitam, sanctitatis forma, norma justitiae, virginitatis speculum, pudicitiae titulus, castitatis exemplum, poenitentiae via, peccatorum venia, fidei disciplina; Joannes major homine, par Angelis, legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, praeco Judicis, praecursor Christi, metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis. » Vide deinde prerogativas S. Joannis, quas recenset S. Bernardus, serm. De Privilegiis Joannis Baptistae: « alias viginti et octo quas enumerat noster Barradius, lib. VIII, cap. iii et iv, ac homilias S. Chrysostomi de eodem.

QUI AUTEM MINOR EST IN REGNO COELORUM, MAJOR EST ILLI. — Joanne Baptista: Primo, q. d. Minimus beatus in caelo major, id est beatorum perfectior, excellentior et gloriosior est Joanne,

Minor in caelo major est Joanne.

utpote adhuc mortali et viatore. Addit hoc Christus, ut acuat auditores ad prosequendum beatitudinem et salutem suam per legem Evangelicam, quam ipse attulit: hoc enim est regnum caelorum, ex quo praedicatorum suam cepit et continuavit Christus. Unde de eo subdit, vers. 12: « Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » Ita S. Hieronymus, Beda, et S. Augustinus, lib. II Contra Advers. legis et Prophetas, cap. v. Accedit S. Ambrosius, qui sic explicat, q. d. Angelus minimus in caelo major est Joanne et quolibet sancto, qui portat corpus quod corrumpitur et aggravat animam, ait S. Augustinus ibidem.

Secundo, magis proprie, presse et nervose dicas cum S. Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, Salmerone et Jansenio, Christum se hic opponere ac una parte se supponere, sed alia antepone, Joanni, q. d. dixi inter natos mulierum non fuisse majorem Joanne in veteri Testamento, at ne putetis illum esse maximum, esseque Messiam; addo Christum, qui Joanne est junior et in schola adhuc minor, ipso tamen esse majorem. Alludit Christus ad illud Joannis de seipso dictum: « Qui post me venturus est, ante me factus est, » id est mihi praetulus et antepositus est, velut me major, Joan. i, 43. Aut, q. d. Ego Christus, qui etate et opinione vulgi sum minor Joanne in praedicando, tamen in regno caelorum major sum illo, quia ita praedico, ut simul gratiam aspiam, quae fideles mihi regnum hoc reipsa consequantur: unde comma ponendum videtur post *est minor*, non post *est regnum caelorum*, ut recte advertit Franciscus Lucas; Graece enim Christus vocatur *hominis minor*, id est minor, junior, humilior, depressior Joanne, aut minor Hebr. חסדון *hacaton*, id est *ille parvus*, hoc est minimus, humillimus, abjectissimus, qualis fuit Christus, dicens: « Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum, et abjectio plebis, » Psal. xxi. Saepe enim comparativus ponitur pro superlativo. Hinc exponit S. Augustinus loco jam citato, q. d. Ego Christus, qui Joanne minor sum etate, eodem tamen major sum majestate, aeternitate, potestate, gratia et gloria. Hae accedit S. Casarius, frater S. Gregorii Nazianzeni, Dialog. 3, qui sic explicat, q. d. Christus, qui in regno caelorum Angelis est minor humana natura, Heb. ii, 7, hic tamen major est Joanne.

Tertio, noster Maldonatus consequenter ad secundum sensum jam datum sic explicat, q. d. « Minor » id est minimus Christianus in regno caelorum, id est in Ecclesia, quae praedicat et ducit ad regnum caelorum, major, id est dignior et sublimior est Joanne. Major est, inquam, ratione potest Ecclesiae, et ex Evangelii natura major potest esse Joanne baptista; lex enim nova Christi est lex gratiae, quam semper augere possumus. Unde Joannes Baptista et omnes veteres gratiam suam a Christo et lege nova acceperunt.

Ecclesia enim nova sive Evangelica, vocatur regnum cœlorum, vel, ut Lucas ait, regnum Dei, quia ipsa est via et inchoatio vite et beatitudinis cœlestis. Sic fere S. Cyrillus, lib. II *Thesauri*, cap. IV, et Isidorus Pelusioti, lib. I, *epist.* 68.

Symbolice: S. Cesarius, *Dialog.* 3 jam citato: «Minor, inquit, est Apostolorum junior, S. Joannes Evangelista, qui Joanne Baptista major est, quia Apostolus et Evangelista super pectus Christi refulsit.»

12. A DIEBUS AUTEM JOANNIS BAPTISTÆ USQUE NUNC, REGNUM CŒLORUM VIM PATITUR (SYTUS, cum violentia accipitur), ET VIOLENTI RAPIUNT ILLUD. — *Luc.* XVI, 16: «Ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit.» Pertinet hoc quoque ad laudem Joannis, ostenditque ipsum esse plus quam prophetam, q. d. Joannes primus cepit predicare regnum cœlorum, adeoque efficax fuit ejus predicatio, conjuncta cum sanctæ et angelicæ vite exemplo, ut multi ab eo baptizati penitentiam egerint, vitam mutarint et ad cœlum magno studio contenderint; hoc studium ego succedens Joanni, per me et Apostolos promovi, et in dies promoveo, ac deinceps promovebo.

Quare nunc regnum cœlorum *βασίλειαν*, id est vim patitur. Vatabulus, *vi invaditur*, vi occupatur, ad illud vi tenditur. *Primo*, quia magna multitudine, studio, aviditate, impetu, alio alium convertere satagent, ad illud obtinendum, imo rapiendum homines a Joanne excitati concurrunt; sicut merx aliqua rara, v. g. vinum Creticum, vel saccharum, cum ab hominibus avidè emitur, rapi dicitur.

*Secundo*, quia non naturali propagine, ut volebant Judæi, non etiam naturæ pondere et virtute, sed supernaturali vi gratiæ, quæ naturam superat, hoc regnum jam ab omnibus ambitur quasi invaditur, adeoque peccatores, ut publicani, meretrices et Gentiles ipsi Phariseis et Judæis, qui sibi solis quasi filiis Abrahæ hoc debent putabant, fervore Spiritus et penitentia illud præcipiunt, eripiunt et quasi vi auferunt, quasi dicat: Certant pro regno cœlorum Pharisei et Christiani, sed Christiani illud eis vi extorqueant. Unde S. Hilarius et S. Ambrosius, sub finem, lib. V in *Luc.*: «Rapitur Christus, inquit, cum illis nascitur, aliis deligitur et suffragatur.» Addit Ambrosius: «Rapuit Ecclesia a Synagoga regnum. Regnum meum Christus est. Rapitur ergo regnum cœlorum, cum Christus a domesticis denegatur, a Gentibus adoratur. Rapitur, cum ab illis repudiatur, a nobis collitur.»

*Tertio*, quia propter regnum cœlorum terreni homines sibi et suis vilis vim inferunt per penitentiam, pauperitatem, continentiam, mortificationem. Unde Lucas habet: «Omnis in illud vim facit.» Ita S. Chrysostomus, Hieronymus, Gregorius, hom. C in *Evang.*; Theophylactus, Euthymus, Beda, et S. Basilius, *orat. De Abdicacione rerum.*

In *Vitis Patrum* (extat in editione nostrâ P. Herberti, pag. 390, n. 40.) narratur visio anachoretae cujusdam, qui vidit discipulum suum una nocte septem in cœlo coronas meruisse, eo quod septies cogitationibus suis et cupiditati somni viriliter resistisset: unde intellexit, quod quoties cogitationibus et cupidinibus suis oblectatur, toties coronetur a Deo. Etiam scriptum est: «Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.» Hæc ibi.

*Quarto*, S. Hieronymus, *epist.* 132 ad *Algasium*, *Quarto*. *Quest.* I: «Regnum cœlorum, ait, vim patitur;» quia proprium est Angelorum, utpote cœlestium spirituum. Vis ergo illi quasi fit, cum a terrenis hominibus invaditur, uti olim a gigantibus invasum fuisse fabulantur poëta: nunc enim per Joannem, et magis per Christum fit, «ut qui homo natus est, angelus esse desideret, et terrenum animal cœlesti quærat habitaculum,» ait S. Hieronymus; sicut violentum esset, si pices relicto naturali maris elemento in terra, et visceribus crassi boves in mari cuperent habitare.

Porro S. Ambrosius, sub finem lib. V in *Lucam*, et fusiis, *serm.* 3, pro *vim patitur*, vertit *cogitur*, id est densatur, quia ingredientibus peccatoribus et Gentilibus, turba introcutum fit densior. Verum Græcum *βασίλειαν* proprie significat *vim patitur*, etsi eodem redeat sensus; nam ex turba densata irruente et se comprimente vim patitur.

Præclare vero in eodem *serm.* S. Ambrosius: «Vim, ait, facimus Domino, non compellendo, sed fendo; non provocando injuriis, sed lacrymis exorando; non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem morendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur! Beata, inquam, violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit et utilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur, et de injuria neme causatur; vis admittitur, et religio propagatur. Quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur a Christo. Aggredimur in itinere Dominum (siquidem ipse est via), et more latronum suis eum spoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, thesauros et vitam; sed ille tam dives et largus est, ut non abnuat, non resistat, et cum omnia dederit, nihilominus omnia possideat.» Deinde modum et arma hujus violentiæ subjicit, dicens: «Aggredimur illum non ferro, non fuste, non saxo sed mansuetudine, bonis operibus, castitate. Hæc sunt arma fidei nostræ, quibus in congressione certamus. Ut autem his armis uti in vi inferenda possimus, ante corporibus nostris vim quodammodo faciamus; expugnemus membrorum vitia, ut virtutum præmia consequamur: prius enim ipsi regnare debemus in nobis, ut regnum possimus diripere Salvatoris.»

ET VIOLENTI RAPIUNT ILLUD. — «Violenti,» scilicet, in regnum cœlorum, qui scilicet illi vim inferunt illudque vi invadunt, eo sensu quo jam dixi. Alludit ad civitatem opulentam in monte

Discipulis  
maioribus  
cujusdam  
discipulorum  
septem  
tem me  
debetur  
discipulum  
summas  
piphia  
tem.

Quarto.

aitam, quæ magna vi superanda et expugnanda est, ac reipsa a militibus, qui ejus opibus inchant, confertim irruentibus expugnatur; maxime vero illi ad regnum Chananae, sive terre promissæ, quod Josue et Hebræi vi et armis expugnaverunt; hoc enim erat typus regni cœlorum. Simili enim modo cœlum a terrigenis, magna vi in altum per conversationem cœlestem scandentibus, superandum est. Cœlum empyreum adeo altum est, sublime et elevatum a terra, ut si quis viveret per octo annorum millia, et quotidie directo in altum scanderet per centum millia, tamen per 8000 jam diæta, necdum eo perveniret, uti ex P. Clavio ostendi, *Gen.* II, 16. Et quia hoc erat homini impossibile, Deus concessit, ut ad illud non pedibus corporis, sed affectibus mentis contenderemus. Rursum nobis non tantum eundem est in altum, sed et multi anfractus, saxa et spinæ superande sunt, imo eundem est per hostes et hastas, puta per multas tentationes, difficultates, persecutiones, adversa, quæ omnia magna vi magnoque animo vincenda sunt; quia ergo cœlum per hanc vim a fidelibus occupatur, hinc ab iis vis fieri cœlo dicitur. Quantum vim intulit cœlo S. Paulus, I *Corinth.* XI! quantum S. Stephanus! quantum S. Laurentius cœterique martyres, virgines, anachoretae rancique omnes!

In Vita S. Perpetuæ et sociorum martyrum ad diem 7 martii, legitur ipsam per visum promittam de martyrio. Vidit enim scalam auream a terra in cœlum porrectam, undique cultris et gladiis acutis obsitam et circumdatam, per quam in cœlum scandendum erat; inferne vero draconem horribilem, qui scandentes impediret: porro vidit unum e sociis, Satyrum nomine, genose per scalam ascendente, sociosque ad se sequendum invitante: qua visione sociis enarrata, omnes intalleverunt sibi parari martyrium, quod et singulis obtigit. Idem estimet fidelis quisque, sibi per scalam cultris obsitam, magna vi eluctandum esse in cœlum.

Jam vero si milites illececi spe prædæ, tanta alacritate, vi, ardore et impetu invadunt, imo invadunt per saxa, per ignes, in urbem opibus spoliisque repletam, si illa a duce ipsis prædæ datur, dum alii fossas fossibus impleant, alii afferunt scalas, alii bombardis cives a muris abigunt, alii densa agmine galcei confertim moenia conscendunt, et in muros insiliunt: quanta alacritate, vi, fervore et animo par est fideles invadere cœlum, ubi sunt opes cœlestes et æternæ, quas oculum non vidit, nec auris audivit, nec minima illarum pars in cor hominis ascendit!

13. OMNES ENIM PROPHETÆ ET LEX USQUE AD JOANNEM PROPHETAVÉRUNT. — Commodius Lucas, XVI, 16, hanc sententiam præponit præcedenti hoc modo: «Lex et Prophete usque ad Joannem scilicet, prophetaverunt; ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit.» *Lez*

Moyses et Prophete omnes ante Joannem et usque ad Joannem prophetaverunt, id est obscure et per ænigmata prædixerunt et promiserunt Christum, ejusque regnum cœlorum, promittendo bona terræa, abundantiam vini, frumenti et olei, regnumque temporale pacificum et opulentum, simile regno Salomonis, quod erat figura et typus regni cœlorum afferendi per Christum; ad Joannes primus clare et diserete cepit predicare regnum cœlorum mox reserandum a Christo, eumque Judæis digito ostendit: quæ causa fuit, ut Judæi felicitatem et gloriam regni cœlestis ponderantes, illius consequendi certa spe excitati illi omni studio ambirent, et in illud vim facerent eo sensu quo dixi vers. præced. Ita Theophylactus, Jansenius hic, et Suarez, lib. IX *De Legibus*, cap. XII, in fin. «Prophetaverunt,» inquit, hoc est promiserunt bona terrena (I).

Rursum, q. d. Vetus Testamentum, quod lege sive Pentateuco et Prophetis, sub specie Hagiographa (puta Psalmos et Libros Sapientiales) constat, usque ad Joannem prophetavit, id est docuit rudēs Judæos Deum non tam amare quam timere, spe honorum temporalium et regni terreni, eumque colere per sacrificia, ritus et ceremonias externas, quæ fuere umbra et typus Christi: ad Joannes cepit predicare novam doctrinam penitentia et amoris Dei, spe regni cœlorum et honorum cœlestium consequendorum per actus internos contritionis, pietatis, adorationis et cultus Dei, quibus vere et perfecte justificamur per Christum, quem Joannes digito ostendit, ab eoque justitiam et salutem flagitandam demonstravit.

Opponit enim et anteposit Christus prophetiam, id est doctrinam Joannis prophetie, id est doctrine legis et prophetarum, ut patet ex verbis Lucae, XVI, 16, jam citatis: Joannes enim medius fuit inter novum Testamentum et vetus, ac quasi utriusque horizon, dividens et distermians novum a veteri, ait Salmeron: fuit enim ipse quasi Lucifer Evangelii, qui umbris et nocti obscuræ legis veteris finem, ac diæ clare legis novæ initium dedit. Ita Theophylactus, Jansenius et alii.

Paulo aliter Maldonatus: «Omnes Prophete, inquit, et lex prophetaverunt.» id est officio suo functi sunt et durarunt usque ad Joannem: non quod tunc statim omnino lex desierit, ut volunt Centuriones Magdeburgenses, sed quod mori et desinere ceperit: lex enim vetus ejusque obligatio duravit usque ad promulgationem legis novæ, quæ facta est post resurrectionem et ascensionem Christi, in Pentecoste, Act. II.

14. ET SI VULTIS RECIPERE, IPSÆ EST ELIAS, QUI VENTURUS EST. — q. d. Si vultis Joannem reci-

(1) Prophetaverunt quoque Messiam, quæ Joannes presentem monstravit. Unde intelligitur quare homines nunc regnum cœlorum tanta cupiditate arripiant.

pere eique credere, uti debetis (unde Syrus vertit in imperativo: *Si vultis, recipite*) ipse erit vobis Elias, quia spiritu et virtute Elias praevidit, vos ad Deum et Christum converteret, uti Elias vestros nepotes et posteros in fine mundi ad eumdem Christum simili zelo, ac vita austeritate et puritate converteret (1). Ita S. Hieronymus hic et epist. 132 ad *Algasiam*, Quast. 1: «Ipse (Joannes), inquit, est Elias qui venturus est, non quod eadem anima, ut haeretici suspicantur, et in Elias et Joanne fuerit, sed quod eandem habuerint Sancti Spiritus gratiam: zona cinctus, ut Elias; vivens in eremo, ut Elias; persecutionem passus ab Herodiade, ut ille sustinuit a Jezabel; ut quo modo Elias secundi praecursor adventus est, ita et Joannes venturus in carne Dominum salvatorem, non solum in eremo, sed etiam in matris utero salutarit et exultatione corporis nuntiarit.»

Alludit ad *Malach.*, IV, 5: «Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam.» Vide ibi dicta. Iudei etiam nunc ex hoc Malachiae testimonio Eliam expectant avide, ut ipse eis ostendat Christum omnique legis dubia resolvat, ideoque eum maximi faciunt: eaque de causa Christus illi Joannem comparavit et aequavit.

Nota: Christus plura illustra Joannis dat elogia, quibus probat ipsum esse plus quam prophetam, ut Iudei ipsi Christum ostendentem fidem adhibeant. *Primo* enim, vers. 10, dicit eum esse angelum a Malachia promissum; *secundo*, vers. 11, quod inter natos mulierum non surrexit major Joanne; *tertio*, vers. 12, quod ipse primus predicavit regnum caelorum, ideoque illud affluente turba vim palitur; *quarto*, vers. 13, quod lex et Propheta fuerint quasi prometi et praecursores Joannis, quodque usque ad Joannem prophetarint; *quinto*, vers. 14, quod ipse sit Elias non in persona, sed in virtute et spiritu.

13. QUI HABET AURES AUDIENDI AUDIAT. — «Audiendi,» id est ad *audendum*, ut vertit Syrus, hoc est ad intelligendum et obediendum. Arabicus, *caures audientes*. Hebraei enim, quia verbis compositis carent, hinc simpliciter utuntur pro compositis, ut per audire significant obedire. Sensus est, q. d. Qui habet aures et mentem docilem et obediendam, hie audiat, intelligat et obediat iis quae dico, scilicet credat Joanni quasi Prophetae, imo plus quam Prophetae, asserenti me esse Messiam, ac proinde me ut Dei Filium mundique salvatorem recipiat et colat; proprie vero respicit id quod dixit, Joannem esse Eliam: «Hoc enim mysticum erat, et egens intelligentia,» ait S. Hieronymus. Solet Christus in re gravi, hac phrasi excitare attentionem auditorum.

16. CUI AUTEM SIMILEM ESTIMABO GENERATIONEM

(1) Vel: *Si vultis recipere* quod dico, verbis meis fidem habere, quod prostat.

ISTAM? — Phariseorum et Scribarum, qui Dei consilium et Baptismum praedicationemque Joannis spreverunt, ut ait Lucas, VII, 29 et 30.

17. SIMILIS EST PUEBIS SEDENTIBUS IN FORO, QUI CLAMANTES COEQUALIBUS DICUNT: CECINIMUS VOBIS ET NON SALTASTIS; LAMENTAVIMUS, ET NON PLANXISTIS. — Erat illo aeo, ait Theophylactus in cap. VII *Lucae*, et S. Cyrillus hic, in *Catena S. Thoma*, apud Iudeos tale ludi genus. Pueri in duas partes et quasi duos choros dividi, vitam hominum quasi in scena representabant, et deridebant instar Haeraciti illum semper deficientis, et Democriti illum semper ridentis: illi enim omnia quae agimus, miserie; huic ineptiae esse videbantur. Alii enim ex uno choro lamentabantur, alii ex adverso tibiis caneant. At neque lamentantes curabant illi qui erant ex adverso canentium choro; neque tibiis curabant illi, qui erant ex lamentantium parte; utrosque vero velut in comedia audiebant spectatores, sed neque ad plancum, neque ad saltum movebantur (2).

Sensus parabola, ut patet ex vers. sequent. 18 et 19, est, q. d. Christus: Videre est in hac generatione et hoc Phariseorum Scribarumque genere simile quippiam illi, quod in parabola puerorum contingit, ut sicut eorum nec plancum, nec cantu moventur ad flendum vel saltandum morosi spectatores, qui haec ut ludicra, et comae ad recreationem audientium composita, otiose contemplantur. Sic pariter Scribae et Pharisei, nec exemplo austerioris vitae Joannis, nec laxioris et remissioris Christi provocari potuerunt (quia noluerunt) ad vitam mutationem, conversionem et salutem, quam praedicabant Joannes et Christus. Comparat enim totam parabolam toti rei per eam significatae, non vero partem parti, uti dixi Canon. 22. Eleganter sapide S. Ambrosius, lib. II *De Penitentia*, cap. VI: «Non ergo, ait, illa deliciarum comes atque luxuria praedicator saltatio; sed qua unusquisque corpus attollit impigrum, nec humi pigra jacere membra, vel tardis sinat torpere vestigiis. Saltabat spiritualiter Paulus cum se pro nobis extenderet, et posteriora obliviscens, priora appetens contenderet ad bravium Christi. Tu quoque, cum ad baptismum venis, manus elevare, pedes, quibus ad aeterna conscendas, velociore habere moneris. Haec saltatio fidei socia, gratiae comes. Hoc est ergo mysterium. Cantavimus vobis novi utique canticum Testamenti, et non saltastis, hoc est, non elevastis animum ad spiritalem gratiam. Lamentavimus,

(2) Simplicius ac melius dixeris adagium desumptum esse a pueris qui in plateis ludendo imitantur quae a majoribus natu serio agi videntur, qui cum viderint in nuptiis et choris tibiis cani, in funeribus manas cani, eadem ludentes faciunt; sed pueris morosis qui nullis aequalium satorum studiis, neque laetis neque tristibus carminibus moventur, ut et ipsi talibus operam navent, hanc morositatem et inhumanitatem exprimit. Vide Wetsteinum, Kufnoel.

et non plorastis, hoc est non egistis penitentiam.» Alludit ad illud *Ezech.* XXXII, 32: «Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur, et audiunt verba tua, et non faciunt ea.» Scribae enim audiebant Joannem et Christum, non ut vitam mutarent, sed ut aures sapientiae novitate et pulchritudine pascerent, potinde ac si cantorem vel histrionem audissent. Vide ibi dicta, ac praesertim Apologum tiblicinis.

Allegorice: S. Ambrosius, lib. IV, epist. 30 ad *Sabianum*: «Dixit, ait, Dei Filius: *Cantavimus vobis, et non saltastis*. Derelicti itaque sunt Iudei, qui non saltaverunt, qui nescierunt manibus suis plaudere: adsceitae sunt Gentes, quae spiritum Deo plausum dederunt. Stultus enim complexus est manus suas et devoravit viscera sua, id est corporalibus se implicavit negotiis, et devoravit viscera sua sicut mors praevaleat, et ideo non invenit vitam aeternam. Sapiens autem attollens opera sua, ut luceret coram Patre suo, qui in caelis est, non assumpsit, sed elevavit viscera sua usque ad resurrectionis gratiam. Haec gloriosa spiritus saltatio, quam saltavit David, et ideo usque ad sedem Christi sublimitate spiritalis saltationis ascendit, ut videret atque audiret dicentem Dominum Domino suo: *Sede a dextris meis*.»

18. VENIT ENIM JOANNES, NEQUE MANDUCANS, NEQUE BIBENS, — id est non comedens et bibens jucunde, more communi aliorum hominum, sed jejuniis et austere locustis victians, ut non tam homo, quam angelus esse videretur, ut hac ratione Scribas compungeret, tereretur, suoque exemplo moveret ad penitentiam.

Et (tamen de eo) DICUNT (Scribae): DEMONIUM HABET. — Arabicus: *Cum illo sunt daemonia*, q. d. A demone possessus est Joannes, cuius vi et energia tantum vitae rigorem sufferre potest: sic austeritatem vitae Joannis, quam ipsorum causa assumpsisset (cum ipse purus et innocens «non indigeret»), ut daret eis exemplum penitentiae, attribuebant demoni, quae insignis fuit ingratitude et malitia.

Rursus «demonium habet,» id est Inanitus est, emotae mentis et insanus, uti sunt qui aguntur a demone, utpote qui stulte corpus suum ita alligat et vitae hucus jucunditatem repudiet, qualis fuit Timon ille Atheniensis melancholicus et maniacus, indeque *μαλακός*, id est osor hominum cognominatus, teste Cicerone, lib. *De Amicitia*, et *Tuscul.* IV. Sic, dum S. Paulinus cum aequa conjuge Terasia honoribus, opibus et deliciis mundi vale-dicentes, vitam inchoarent solitariam, pauperem et austeram, multi dicebant ipsos laborare melancholia, vel mania, quam suscitare solet demon. Unde Ausonius, S. Paulini amicus, epist. 25, eum suggillat, quod atre bilis (melancholia) morbo, velut alter Bellerophontes, laboraret, ideoque secessisset et musas penitus

abdicasset. Sic et Rufinus, et ipse egypticus, idem monachis insulae Caprariae objectat, atque:

Sic nimis bilis morbum assensavit Hoenerus Bellerophontis soliditadinibus.

Ecce Christus hic parabolam applicat: Joannes enim austere vivens significatur per chorum puerorum lamentantium; Christus vero remissius vivens et familiariter conversans, notatur per chorum canentium; sed utrumque risere et explorare Scribae et Pharisei, ut suis voluptatibus et licentiosis vite libere sine censore vacarent.

19. VENIT FILIUS HOMINIS MANDUCANS ET BIBENS (vulgari mensa et modo cum hominibus vivens, et familiariter cum eis conversans), ET DICUNT (Scribae et Iudei in malo obstinati): ECCE HOMO VORAX ET POTATOR VINI, PUBLICANORUM ET PECCATORUM AMICUS. — Joannes austeram in deserto vitam egit, Christus communem ceterorum hominum, ut quos Joannis austeritas terrebant, illius humanitas ad se alliceret. Christus enim ad hoc in mundum venerat, ut omnibus hominibus daret perfectum humilitatis omnisque virtutis exemplum, quod singuli pro suo gradu et statu imitarentur, ac praesertim ut peccatores a vitis ad Deum converterent. Quare necesse fuit, ut cum eis conversaretur, ederet et biberet, itaque eos ad sui amorem et sequelam alliceret. Ita D. Thomas, III *part.*, Quast. XL, art. 2; Suarez et alii ibidem. Aliam causam dat S. Augustinus, lib. III *De Doctr. Christ.*, cap. XII, ut ostenderet, «quod in omnibus talibus (cibo, potu, vestitu, etc.), non usus rerum, sed libido utentis in culpa est;» itaque doceret divites in suis divitiis posse honeste vivere et salvari. Verum Scribae hanc Christi facilitatem calumniabantur, et gulositatem interpretabantur, quae sano ingens fuit maledicentia, ingratitude et blasphemia.

ET JUSTIFICATA EST SAPIENTIA A FILIIS SUIS. — Sapiens Syrus, a *servis suis*. «Justificata» duo significat, scilicet, iustum *facere* et iustum declarare; hio secundo modo *omittit*. «Justificata» ergo, id est iustificata.

«Justificata est Dei sapientia, quam in Joanne et Christo ostendit, quia nil saluti hominum conveniens intentatum reliquit: ut enim haberent austere vitae et penitentiae exemplum, dedit eis Joannem; ne vero multi hac austeritate teriti, virtutem et salutem desperarent, dedit communis vite et virtutis exemplum in Christo. «A filiiis suis,» puta studiosis sapientiae et virtutis, scilicet, fidelibus Christo et Joanni assensantibus et obediensibus; q. d. Sapiencia Dei, quam superbi Scribae et insipientes Iudei in Christo et Joanne contempserunt, justificata, id est honorata et laudata est ab omnibus vero sapientibus. Ita S. Chrysostomus, Euthymius, S. Hilarius, S. Hieronymus, S. Augustinus, Theophylactus et alii. Haec si qui jam pereunt, sua culpa pereunt, quia

Joanni et Christo credere et obedire noluit: sibi ergo suam perditionem imputent, Deum autem justificent, juxta illud *Psal. l.*: « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. » Simili sensu ait Apostolus, *I Tim. ii*, vers. ult.: « Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, » id est declaratum et ostensum in mundo justum fuisse, sanctum, sapiens Deoque dignum incarnationis Verbi opus et mysterium. Hunc esse sensum liquet ex *Luca*, vii, 29, qui occasionem hujus parabole, indeque ejus intentionem et scopum per preparabolam, sive per prefabulationem ita enarrat: « Et omnis populus audiens et publicani justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. Pharisei autem et legisperiti consilium Dei spererunt in semetipsis, non baptizati ab eo. » Ac mox subijci parabolam perorum cantantium et lamentantium, contra eos intortam a Christo, quam paulo ante explicui.

Paulo aliter Maldonatus hic, et Toletus, in *Luc.* vii, 34 et 35: « Justificata, inquit, est sapientia Dei a filiis suis, » id est a Judæis (hi enim erant filii legis, fidei et sapientiæ Dei): Judæorum enim nonnulli magistrum sapientiam credendo, alii non credendo justificaverunt: quia, illis per tot signa juste meritoque credentibus, hi sua culpa non credendo seipsos condemnarunt, sapientiam vero hi illicque credentes justificaverunt ipso facto: credentium enim salvatio, et non credentium condemnatio, est sapientiæ justificatio: quia credentes salvantur, eo quod sapientiæ a Joanne et Christo predicatæ crediderint; non credentes condemnantur, quia eidem credere, itaque se salvare noluerunt. Simili phrasi *Ezechiel*, xvi, 31 et 32, ait: « Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis. » Vide ibi dicta.

Rursum S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christiana*, cap. xi, ante medium, acutius sic exponit: « Justificata est sapientia a filiis suis, quia scilicet sancti Apostoli intellexerunt regnum Dei non esse in esca et potu, sed in æquanimitate tolerandi, quos nec copia sublevar, nec deprimit egestas. » Christum enim non sublevarit copia, Joannem non depressit egestas.

Denique S. Hieronymus hic, et S. Ambrosius, in cap. vii *Lucæ*, vers. 33, notant in quibusdam Græcis codicibus legi: « Et justificata est sapientia ab operibus suis. » « Sapientia quippe non quaerit oris testimonium, sed operum, » ait S. Hieronymus.

20. TUNC COEPTI EXPROBRARE CIVITATIBUS IN QUIBUS FACTE SUNT PLURIMÆ VIRTUTES EJUS, QUIA NON EGESSENT PENITENTIAM. — « Tunc, » cum scilicet Apostolos misisset predicatum per Galilæam, et ipse seorsim predicasset, sed parvo fructu et paucorum conversione, « coepit exprobrare » summam ingratitude et obstinam malitiam « civitatis, » puta civibus, apud quos ab eo « factæ sunt plurimæ virtutes, » id est miracula, quibus Chris-

tus suam prædicationem et doctrinam novam de more confirmabat, ut eos a vitio ad penitentiam et virtutes alliceret; « quia » (quod post tot miracula, tot exhortationes, tot minas inferni, tot promissa regni cælorum, « non egissent penitentiam. »

21. VE TIBI, COROZAIN, VE TIBI, BETHSAIDA: QUIA SINT IN TYRO ET SIDONE (Gentilium urbibus, in vicina Palestine Phœnicia) FACTÆ ESSENT VIRTUTES, QUÆ FACTÆ SUNT IN VOBIS. OLIM IN CILICIO ET CINERE PENITENTIAM EGESSENT. — Corozain inelyta, in vicinia Galilææ civitas, quæ inter decem celeberrimas Decapoleos urbes numeratur. Sita est e regione Capharnai, ad mare Galilææ, ubi scilicet Jordanis in mare hoc influit; a Capharnao distat duobus miliaribus, sive duobus passuum millibus. Unde Christus, qui sedem et domum fixerat Capharnai, sæpe ad Corozain et Bethsaida, et ad alias vicinas urbes prædicatum excurrebat, ibique virtutes, id est miracula patrabat. Hinc *Corozain* Chaldaice idem est quod eo, id est *hic, rano*, id est *secretum*. Apposite, quia Christus ibi prædicabat arcana fidei et abscondita a constitutione mundi; sed civibus mercatorum, lucro et delictis addictis, quasi surdis canebat: unde eis hic Dei vindictam intendat, quæ eis etiam in presentisæculo obvenit. Testatur enim S. Hieronymus, in *Locis Hebræis*, sua etate Corozain fuisse desertam, atque etiamnum antiquæ ejus duntaxat ruina supersunt. Sunt qui putant Antichristum in Corozain nasciturum ibique nutriendum, quem tamen in Babylone generandum plures opinantur ex illo *Jerem.* i: « Ab Aquilone (id est Babylone, cui Aquilonaris est respectu Jerusalem) pandetur omne malum, » puta Nabuchodonosor regnorum vastator, et ejus antitypus Antichristus. Ita ex Fretello Adrichomius, in *Descriptione Terræ sanctæ*. Verum utrumque plane est incertum.

VE TIBI BETHSAIDA. — Bethsaida pariter erat primaria civitas Galilææ et Decapoleos, adiacens mari juxta Capharnaum, ab eo distans itinere trium horarum, ita dicta, quod in ea habitarent piscatores, *beth* enim est domus, *saida* est piscatio: *βηθ* *said* enim Hebraice significat *venari*, sed Syriace *piscari*, quia venatio in mari est piscatio: unde *saida* sunt piscatores. Ita Franciscus Lucas. Ex hac civitate orti sunt S. Apostoli Petrus, Andreas et Philippus; unde ipsa in Evangelio civitas Andrea et Petri appellatur. Verisimile est in hac civitate fuisse domum Petri et Andrea, quam Christus ingressus, socrum Petri in lecto decumbentem, graviterque febriçtament manu apprehendisse ac dicto sanasse, Evangelistæ describunt; ubi quoque post solis occasum, oblatis sibi ante jancam multos mali habentes ac variis morbis afflictos, atque a demonibus vexatos curaverit. Ita Adrichomius. Sed vide que dixi *Math.* vii, 14. Hic etiam Christus cæco cuidam in oculis expuens, impositis manibus visum restituit, prius quidem imperfectum, deinde vero perfectum, *Marc.* viii. Quare Christus hic Bethsaida

Vers. 21. Luca. x. 14.

Corozain quæ nunc est civitas et alia sita?

Tyros et Sidon quid?

Denoscit futura conditione?

Unde?

Indulgetis super nos?

merito exprobrat, quod visis tot suis miraculis in se non crediderit, ideoque ei exitium minatur tum futurum, tum presens, quod ei reipsa obvenit. Nam cum hæc civitas olim opibus et ædibus floretet, nunc ita deserta est, ut vix sex habeat domos; ait Adrichomius in *Descript. Terræ sanctæ*, p. 157, n. 18, in fine.

QUIA SI IN TYRO ET SIDONE FACTÆ ESSENT VIRTUTES (sena et miracula), QUÆ FACTÆ SUNT IN VOBIS. — Subintellige, accedente ad signa externa interna Dei gratia, scilicet, illuminatione intellectus et impulsu voluntatis his signis congruente et proportionata, qualem ordinari dare solet Deus: sine gratia enim interna, quæ mentem moveat, frustranea est omnis prædicatio externa. « Olim in cinere et cilicio penitentiam egissent, » uti fecerunt Ninivite ad prædicationem Jonæ, cap. iii. Nota *in olim*, q. d. Jam diu penitissent, nec tandem expectantem, sicut vos expectastis, o civis Corozain et Bethsaida. Tyros urbs est munitissima Phœnicie, in rupe maris sita, ideoque Hebr. *Tsor*, id est rupes, vocatur. Vide que de ea dixi, *Ezech.* xxvi. Sidon est vicina Tyro, ita dicta, vel a Sidone primo genito Chanaan conditore, *Gen.* x, 15; vel a piscatione pisciumque copia, uti paulo ante dixi de Bethsaida.

Hinc Theologi colligunt Deum certo scire propositiones conditionatas liberas, licet nunquam eventuras, eo quod conditio non ponatur in rerum natura; Christus enim hic certo asseverat Tyrios et Sidonios penitentiam acturos fuisse, si Christi signa vidissent, quæ tamen non viderunt, ideoque penitentiam non egerunt. Ratio a priori est, immensitas mentis divine, scilicet infinita acies et vis intellectus Dei, quæ omnia omnino etiam secretissima, ac nominatim libertatem hominis, liberaque cujusque cogitationes et voluntiones, sive absolute, sive conditionate futuras, comprehendit, penetrat et pervidet, ideoque est omnia, nec quidquam potest illam fugere, quin illud plane pleneque cognoscat et perscrutetur. Objectum enim ejus est omne verum præteritum, presens et futurum, sive absolute, sive conditionate: quare omne hoc clare intuetur et pervidet infinita acie mentis sue. In futuris enim conditionatis altera pars contradictionis est vera, sicut in absolutis: posita enim conditione, vel erit, vel non erit id quod dicitur. Vide dicta *Jerem.* xxxviii, 17; et *Sapient.* iv, 11, ad illa: « Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. »

Rursum S. Augustinus, lib. *De Bono Persever.*, cap. ix et x, ex hoc loco recte refellit Sempolagianos, qui dicebant Deum prædestinare hos vel illos homines, quia prævidebat eos gratia, si daretur, bene usuros. Nam Tyrii bene fuissent sui gratia, et tamen hæc eis data non fuit.

Denique ex hoc loco ne colligas Tyrios defuisse gratiam sufficientem, sed copiosam et abundantem, qualem habuere hi Galilæi.

22. VERUMTAMEN DICO VOBIS, TYRO ET SIDONI RENISIUS ERIT (Arab., *remissio erit major*) IN DIE JUDICII, QUAM VOBIS. — q. d. Punientur quidem Tyrii et Sidonii ob sua scelera, sed vos, o civis Corozain et Bethsaida, gravius punientur: primo, quia majorem habuistis Dei legis et virtutis cognitionem, vos, utpote Judæi et fideles, quam Tyrii gentiles et infideles: secundo, quia me prædicantem et ad penitentiam exhortantem sæpius audistis, ac plura miracula facistis vidistis, cum Tyrii nil horum audierint et viderint; tertio, quia Tyrii, utpote in corde maris siti (uti jam sunt Genuenses, Veneti, Lisbonenses), ideoque mercibus et opibus abundantes, longe majorem superbiam, avaritiæ et luxuriæ occasionem habere, quam vos, o Galilæi, et tamen vos superbiore, avariores et luxuriosiores estis Tyriis.

Morali: simili modo in die judicii gravius punientur Christiani quam Judæi, Romani quam Indi, sacerdotes quam laici, religiosi quam sæculares, si impie vixerint, quia majorem a Deo cognitionem, gratiam aliisque beneficia et salubria adminicula acceperunt, sed his uti noluerunt, imo his abusi sunt ad majorem suam damnationem.

23. ET TU, CAPHARNAUM, NUMQUID USQUE IN CŒLUM EXALTABERIS? (q. d. minime; sed usque) IN INFERNUM DESCENDES. — Legit Interpres *in Hebræo*, id est *numquid exaltaberis*, jam legitur *in Græco*, id est *quæ ex exaltata*; Arabicus, *elevata*, quomodo etiam habet Lucas, x, 13; sed eodem redi sensu; q. d. Numquid tu, o Capharnaum, que meis miraculis, doctrina et prædicatione magis quam mercibus et opibus tuis exaltata es, et celebris ac gloriosa effecta apud Deum et homines; numquid, inquam, semper ita exaltaberis? q. d. Non, sed in die judicii ad inferna detraheris et descendes in ejus fundum profundissimum, ut sub Tyriis et Sidoniis, qui minus quam tu peccarunt, degas in ipso centro gehennæ, ibique flammantia ejus incendia præ aliis sentias, crucieris et comburaris: plerique enim civis et incolæ tui dampnandi sunt et in iudum gehennæ relegandi. Hinc S. Augustinus, serm. 42 *De Sanctis*, *in exaltaberis*, vel, ut Lucas habet, *exaltata*, sic exponit, q. d.: « Nimium tibi felix videtur, nimium potens, nimium superba es, » ideoque me omnesque te monentes respicit et despici: qua de causa in certum tui ipsius ruinæ exitum.

QUIA SI IN SIDONIS FACTÆ FUISSENT VIRTUTES, QUÆ FACTÆ SUNT IN TE, FORTE MANSISSET USQUE IN HANC DIEM. — *Tò forte* non est dubitantis: nam Græco est *ἀ*, quæ expletiva et confirmantis est particula, significans *certe, utique*. Unde eam omisit Interpres, vers. 21 et alibi passim, ubi tamen est in Græco. *Tò enim* *ἀ* quæ tantum vertit *forte*, scilicet hic et *Joan.* v, 46; et *Psal.* lxxxv, 13; et *I Cor.* vii, 5; in cæteris omnibus locis, quæ plurima sunt, omisit *ἀ*, quod est in Græco, et simpliciter vertit assertive, ut *Math.* iii, 18; v, 18;

Vers. 23. Luca. x. 15.

Fortè pro uti quæ.

vi, 3; x, 12, ac plurimis aliis locis, quæ videre in Concordantiis Græcis. Sic quoque forte, hoc vers. 23, omittunt Vatablus, Pagninus et alii, ac asseveranter vertunt mansissent. Forte ergo non significat Christum dubitasse de Sodomorum mansione, sed iam licet certo futuram, libere tamen, ideoque quasi casu et fortuito eventuram previdisse. Forte enim idem est quod casu, et velut per sortem: opponitur enim naturali et necessario. Sic Comicus in *Andria*: « Forte, ait, aspicio militem, aggredior hominem. » Et Livius, lib. I: « forte evenit; » et infra: « forte ita acciderat. » Sensus ergo est, q. d. Si Sodomite audissent meam predicationem et exhortationem ad penitentiam, meaque miracula, quæ in ejus confirmationem tot tantaque apud vos, o Capharnaïte, patravi, conspexissent, utique compuncti fuissent, et penitentiam egissent, ac mansissent usque in hodiernum diem; intellige: Nisi ipsi vel posteri eorum post penitentiam in eadem vel similia scelera relapsi, rursus iram Dei provocassent, quæ simile exodium eis irrogasset. Si enim perterritis in sua penitentia et mutatione vitæ, mansissent usque in hanc diem. Et hoc innuit forte. Unde Franciscus Lucas *de quæst.*, quod Noster verit forte mansissent, exponit per modum potentiam, vertique mansisse potuissent.

24. VERUMTAMEN, DICO VOBIS, QUIA TERRÆ SODOMORUM (Sodomitis) REMISSUS ERIT (Arab. inveniet remissionem majorem; Syrus, tranquilliores erunt) IN DIE JUDICII, QUAM TIBI. — q. d. Mitis punientur Sodomite, quam Capharnaïte, ob causas quas recensui vers. 32. Hæc Christi de Capharnaïto sententia, etiam juxta litteram impleta cernitur. Quamvis S. Hieronymus in suam usque ætatem Capharnaïm oppidum exstistisse testetur, tamen postea et etiamnum adeo desolata est, ut viliis et humilis existens vicus, vix septem piscatorum habeat casas. Ita Adrichomius et alii, in *Descriptione Terræ sanctæ*.

Vers 25. 23. IN ILLO TEMPORE RESPONDENS JESUS, DIXIT: **CONFITEOR TIBI, PATER, DOMINE (SYRUS, Dominator) COELI ET TERRÆ, QUIA ABSCONDISTI HEC A SAPIENTIBUS ET PRUDENTIBUS, ET REVELASTI EA PARVULIS.** — Aple hæc coherent præcedentibus. Dat enim hic Christus causam, cur Capharnaïte, Scribæ, sacerdotes et Pharisei spreverint Christum ejusque predicationem, quia scilicet erant superbi, sibi que videbantur sapientes esse et prudentes: quare ad humilitatem Christi et Evangelii noluerant superbas cervices inclinare, sed id fecerant humiles Apostoli, discipuli et turbæ. Ad hæc quomodo significat Christum dolorem suum, quem ex eorum superba incredulitate conceperat, lenivisse et abstersisse consideratione et laudatione justi judicii decretive divini, quo a superbis quasi indignis hæc abscondit, et parvulis sive humilibus ea revelavit. Unde Lucas addit: « Exultavit Spiritu Sancto, » id est, per Spiritum Sanctum, qui hanc conside-

rationem, ex eaque lætitiâ ei suggererat, « exultavit, » Deumque laudibus celebravit. Idem Christi imitatione faciamus et nos, ut dum operam nostram apud superbos et indignos perdimus, mortificationem abstergamus consideratione divine voluntatis et providentiæ, quæ superbos aspernat, et humiles elegit elevatque ad suam gratiam et gloriam.

RESPONDENS, — id est dicens novumque sermonem orsus; nec enim hic apparet ulla interrogatio, cui proprie respondeat. Est Hebraismus. Vide Canon. 18.

CONFITEOR, — id est laudo et gratias ago; hoc enim significat Hebr. יָדָה *ida* in Hiphil, puta *hoda*; unde sacrificium יָדָה *hoda*, id est confessionis, est laus et gratiarum actio. Hinc Lucas addit: « Exultavit Spiritu Sancto. » Sic passim in Psalmis dicitur: « Confitebor tibi in toto corde meo, » id est laudabo te. « Confitemini Domino, quoniam bonus, » etc., id est laudate Dominum.

TIBI, PATER (qui me filium tuum unice amas, omniaque ad tuam meamque gloriam disponis et ordinas), DOMINE COELI ET TERRÆ. — Addit hoc, ne quis impotentia vel infirmitati Christi tribuat, quod non poterit domare sibi subjugare superbos Capharnaïtas et Phariseos, q. d. Tu, o Pater mi, cum sis Dominus coeli et terræ, omniumque corda in manu tua habeas, potuisti solo nunc superborum mentes flectere mihi que subdere, sed justa tua ordinatione noluisti.

Porro, nomine *coeli et terræ* significantur omnes creature, ideoque omnes homines et Angeli, quod innuitur: primo, Deum non solos Judæos, sed et Gentes curare et regere, ac revocare ad Evangelii gratiam et salutem per Christum; secundo, Deum suos fideles e terra in cælum suum deducere, utpote cæli æque ac terræ Dominum; ipsius ergo est cælum suis amicis aperire; tertio, Deum, sicut humiles Apostolos discretivè a superbis Scribis in terra, sic et humiles Angelos discretivè a superbo Luciferò, ejusque assellis in cælo, Ita Toletus, in *Luc. x.*

Audi Tertullianum, lib. I *Contra Marcionem*, cap. XIII: « Plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, Patrem et Dominum: Patrem clementiam, Dominum disciplinam; Patrem potestate blanda, Dominum severa; Patrem diligendum pie, Dominum timendum necessarie: diligendum, quia malit misericordiam quam sacrificium, et timendum, quia nolit peccatum; diligendum, quia malit penitentiam peccatorum quam mortem, et timendum, quia nolit peccatores sui jam non penitentes. Ideo lex utrumque definit: *Diliges Deum et timebis Deum.* Aliud obsecutori proposuit, aliud exorbitatori. »

Hæc (mysteria gratiæ et gloriæ, quæ ego prædicavi et prædico) A SAPIENTIBUS ET PRUDENTIBUS. — Scilicet, a Capharnaïtis et Scribis, qui in mercibus mundique negotiis præ aliis sapere videntur; unde a me instrui et discere viam salutis

Cue. fecor. id est, laudo, gratias ago.

Nonne coeli et terræ significantur omnes creature?

dedignantur: juste ergo a nolentibus recipere lucem Christi tui, eam ab indignis retraxisti. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus et Ambrosius, serm. 17 in *Psal. cxviii.*

ET REVELASTI EA PARVULIS. — Syrus, *puerulis; Græce videlicet, id est infantibus*, ut vertit Arabicus, id est idiotis, imperitis, infacundis, puta Apostolis, discipulis et turbis, qui Scribis et mundanis videntur esse rudes et insipientes velut infantes, ut in eis ostendas vim lucis et gratiæ tuæ, qua linguas horum infantium ita fecisti disertas, ut in omnem terram exierit sonus eorum, et in fines terræ verba eorum, *Psal. cxviii.* Alludit ad illud *Psal. viii, 3*: « Ex ore infantium et lactentium perfectisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem. » Dei enim electio et dispositio plane contraria est mundo; mundus enim ambit et elegit divites, sapientes, potentes; Deus vero eligit pauperes, rudes, infirmos, eosque facit præ omnibus mundanis spiritu divites, sapientes et potentes. Quare? « Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, sed qui gloriatur, in Domino gloriatur. » 1 *Cor. i, 20* et 31. Vide ibi dicta.

Ex hoc loco S. Augustinus, *De Præd. Sanctæ*, cap. vi, et *De Bono Persever.* cap. viii; ac S. Gregorius, lib. XX *Moral.*, cap. xiii, docent quod cum audita prædicatione Evangelii hi credunt, illi non credunt, esse opus gratiæ et justitiæ Dei. Qui enim credunt, ita congrue per gratiam Dei in mente illuminantur, ut credant; qui vero non credunt, justo Dei judicio ob suam superbiam, aliaque peccata non ita congrue a Deo illuminantur, ut de facto credant, licet, si vellent illuminationi, quam Deus eis suggerit, consentire et cooperari, possent credere et reipsa crederent.

Vers 26. 26. ITA, PATER, QUONIAM SIC PLACUIT FUIT ANTE TE, — id est tibi; Græce significantius *vel è nativitate*, id est etiam, vel recte, o Pater (Græci enim sæpe nominativum usurpant pro vocativo), q. d. Uti que, o Pater! quod fecisti, rectissime fecisti, quia sic placuit tibi humiliter superbos et exaltare humiles. Docet prædestinationis et electionis fidelium, æque ac reprobarionis infidelium et impiorum, causam originalem non esse aliam, quam Dei beneplacitum; quare in eo nos conquiescere debere, nec alias rationes querere, cum illud unum fidei sufficiat, et instar mille rationum sit. Hinc beati in cælo, dum vident suos filios, parentes, nepotes ob demerita damnari, non dolent, sed approbant laudantque justum Dei judicium.

Vers 27. 27. OMNIA MIHI TRADITA SUNT A PATRE NEO. ET NENO NOVIT FILIUM, NISI PATER; NEQUE PATREM QUI NOVIT, NISI FILIUS, ET CUI VOLUERIT FILIUS REVELARE. — Lucas, x, 22: « nemo scilicet quis sit Filius nisi Pater, et quis Pater nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. » Respicit id quod dixit, vers. 23: « Et revelasti ea parvulis. » q. d. Ego a Patre sum missus, ut sim doctor et salvator mundi, ut scilicet doceam homines veritatem et viam ad salutem, puta ad Deum Patrem, qui est increata salus et felicitas: hæc enim, cum sit supernaturalis, a nullo homine vel Angelo naturaliter cognosci potuit; quare sicut nemo novit Filium nisi Pater, et cui voluerit Pa-

Omnia Christo a Patre tradita sunt, quod scilicet?

trarium, scilicet Patrem omnia sua communicare Filio, imo non nisi per Filium operari, docere, prædicare doneque sua conferre. Ad hunc enim finem misit Deus Filium in carnem et in mundum, ut per eum velut doctorem et salvatorem omnes doceret et salvaret.

Porro, « omnia mihi tradita sunt a Patre, » ita intelligi debet, ut tamen omnia Christus secundum naturam habuisse consensus sit. « Sicut cum sit secundum naturam vita, vivificari dicitur a Patre; ac cum sit gloriæ Dominus, sicut gloriæ accipisse, » ait Concilium Ephesinum ex Cyrillo, in *Defens. Anathem.* Sensus ergo est, q. d. Omnia quæ habet Pater, scilicet, divina natura, imperium et potestas, ait S. Hilarius et Augustinus, ac consequenter (quod magis: id spectat Christus) omnia, id est omnium rerum, sed præsertim hominum dominium, potestas, gubernatio et dispensatio, a Patre ab æterno data fuit mihi, quasi Filio per æternam generationem, et in tempore eadem mihi data fuit quasi homini, per hypostaticam unionem, ut possim, quos velim, v. g. humiles Apostolos eligere, illuminare, prædestinare, salvare; quos vero nolim, ut superbos Capharnaïtas rejicere, negligere, reprobare, damnare: in manu enim mea est omnium prædestinatio vel reprobatio, salus vel damnatio, q. d. Constitutus sum a Deo Patre mundi salvator et redeptor, et in manu mea ac potestate posuit Pater universa, ut ea regerem et restituerem; ut sicut per me in Deum omnia creavit, sic et per me in carne assumpta omnia receret et repararet. Ad hoc venit, et ad hoc sum homo factus. Abscondita igitur sunt a sapientibus sacramenta, scilicet, legatio mea, incarnatio mea, finis adventus mei, officium meum; parvulis autem ex parte jam revelata, postmodum vero perfecte revelanda sunt. Abscondita, inquam, sunt a superbis; et revelata humilibus, tam a me quam a Patre meo; quia Pater omnia mihi tradidit, meoque potestati et arbitrio commisit. Christus enim hic suum officium, dignitatem et auctoritatem adocet et stabili, ut omnes ei quasi doctores et legatos Patris auscultent, credant et obediant. Sicut viceversè per gubernator demonstrat populo sibi hoc munus a rege esse demandatum, ut sibi auctoritatem et civium obedientiam concelet.

ET NENO NOVIT FILIUM, NISI PATER; NEQUE PATREM QUI NOVIT, NISI FILIUS, ET CUI VOLUERIT FILIUS REVELARE. — Lucas, x, 22: « nemo scilicet quis sit Filius nisi Pater, et quis Pater nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. » Respicit id quod dixit, vers. 23: « Et revelasti ea parvulis. » q. d. Ego a Patre sum missus, ut sim doctor et salvator mundi, ut scilicet doceam homines veritatem et viam ad salutem, puta ad Deum Patrem, qui est increata salus et felicitas: hæc enim, cum sit supernaturalis, a nullo homine vel Angelo naturaliter cognosci potuit; quare sicut nemo novit Filium nisi Pater, et cui voluerit Pa-

ter revelare; sic vicissim Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare: Pater enim sicut naturam, sic et sui cognitionem omniaque que habet, communicat Filio, et per Filium cæteris hominibus. Qui ergo ad veritatem, gratiam et salutem, que in Deo Patre sita est, accedere cupit, per me accedat, meque docentem audiat et in me credat oportet. Ego enim sum via, veritas et vita. Mea doctrina est doctrina Dei Patris; per me ergo habebitis accessum ad Patrem. Ego vos ad eum ejusque gloriam deducam.

Porro, dum dicitur nisi Filius, non excluditur Spiritus Sanctus; nullo minus cum dicitur nisi Pater, excluditur Filius. Regula enim Theologorum est, particulas exclusivas additas uni personæ divinæ in attributis essentialibus, non excludere cæteras duas personas, sed tantum creaturas, seu id quod alterius est essentialis. Ita S. Augustinus, lib. VI de Trinitate, cap. IX; S. Cyrillus, D. Thomas, cæterique Patres et Scholastici. Nota Christum primo Apostolorum et Discipulis revelasse cognitionem duarum primarum personarum, scilicet Patris et Filii, ac deinde sub discessum, cum iret ad mortem, inculcasse fidem tertie personæ, puta Spiritus Sancti, ut patet Joan. XVI, 7. Sensim enim hoc divinissimum Trinitatis mysterium rudibus Apostolis patefaciendum fuit.

Christus Apostolis hanc Trinitatem personarum cognitionem revelavit, ut patet Joan. XVI, 7. Sensim enim hoc divinissimum Trinitatis mysterium rudibus Apostolis patefaciendum fuit.

Advertit soletur S. Chrysostomus, hom. 39, non dici: Qui jussus est a Patre revelare, sed « cui voluerit revelare, » ut Filius Patri in dominio et potestate æqualis ostendatur: licet enim Christus revelet ut homo, sive per naturam humanam et os, tamen hæc natura subsistit in persona divina, ideoque hic homo, puta Christus, est Deus et Deo Patri æqualis.

Porro, S. Chrysostomus et Irenæus, lib. IV, cap. XIV, ut Marcioni vetus Testamentum ejusque Deum rejicienti, dicenti: Si Deus Pater non fuit agnitus ante Christi incarnati revelationem, ergo non fuit agnitus in veteri lege, ergo illius auctor et Deus non fuit Deus verus, respondeant, « nemo novit Patrem nisi Filius, » exponunt de scientia divina, per quam Filius, qua Deus, comprehendit Patrem, et Pater Filium. Planius tamen accipias de scientia communicata nature humane Christi; hæc enim illius mysteria revelavit Prophetis et Patribus, ut Divinitatis et Trinitatis mysteria. Sic eadem post incarnationem revelavit Apostolis et fidelibus qua homo. Nemo enim est fidelis et Christianus, nisi a Christo et per Christum incarnatum: « Aliud est enim, ait Hieronymus, nature æqualitate nosse quod noveris (uti Filius novit Patrem), aliud revelantis dignatione, » uti nos novimus Deum per revelationem Christi.

28. VENITE AD ME, OMNES QUI LABORATIS ET ONERATI ESTIS (Syrus, qui fessis estis, et bajulantes onera; Arabicus, labore attriti et gravati onere), ET EGO REFIciam vos. — Ostensa deitatis sue majestate, ne quis ea absterreatur, Christus addit humanitatem, et humanissime omnes ad se invi-

tat. In legislatore et principe, cui summa inest potentia et majestas, summa virtus est benevolentia et mansuetudo. Sic Moyses, legislator et dux Hebræorum, fuit mortalium mansuetissimus, Numer. XII.

VENITE (non tam pedibus corporis, quam affectibus fidei, spei, amoris, religionis, devotionis et pietatis) AD ME, — cui omnia Pater dedit in manus, quemque misit quasi medicum peritissimum et officiosissimum, ac suavissimum tam moribus, quam pharmacis, ut omnibus omnino corporis et animæ infirmitatibus mederetur; nemo enim præter eum illis mederi potest.

OMNES QUI LABORATIS, — nemine excluso: nemo enim est, qui non aliquo morbo labore et Christi medela indigeat. Omnibus ergo Christus se offert, ut ab eo sanitatem et salutem petant et recipiant. Sic blande correxit, exiit curavitque Magdalenam, in Eucharistia, Panlum, Petrum. Sic etiamnum in Mattheum, omnes invitat, aitque: « Venite ad me, infirmi, esurientes, afflicti, ego reficiam vos. »

QUI LABORATIS (Græce δ κενώσθε, id est qui molestiam patimini) ET ONERATI ESTIS, — scilicet fatigati et depressi, ac succumbentes oneri, tum peccatorum, ita S. Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Augustinus; tum legis Mosaicæ, ita Theophylactus; tum ærumnarum et tentationum hujus vite: « Nam corpus, quod corruptipit, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. » Sapient. IX, 15. Vide ibi dicta.

ET EGO REFIciam vos. — Græce ἀναπαύω, id est refocillabo, fessis requiem dabo, ut vertit Syrus, recreabo, in omni quiete constitam, ait S. Chrysostomus, per verba blandissima, per Sacramenta quasi pharmaca efficacissima, per gratiam et consolationes infernas suavissimas, denique per gloriam felicissimam in celo. Audi S. Augustinum, serm. 10 De Verbis Domini secundum Matth. : « Venite ad me, omnes qui laboratis: Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, que faciunt invicem angustias? Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis. Quid ergo dicit: Venite, omnes qui laboratis, nisi ut non laboretis? Denique promissio ejus in promptu est, quoniam laborantes vocabit. Quærent forte, qua mercede vocati sunt? Ecce ego vos, inquit, reficiam. »

29. TOLLITE (Syrus, bajulate) JUGUM MEUM SUPER vos. — q. d. Tollitis grave et pene intolerabile jugum et onus legis veteris, peccati et concupiscentiæ, venite ad me, ego illud tollam et commutabo in suave jugum legis Evangelicæ, gratiæ et charitatis. Reficiam ergo vos per jugum meum, quod jugum quidem est, quia est lex obligans animas, sed simul pharmacum est, imo lectus, in quo suaviter quiescat, præsertim per humilitatem, quam docet et præcipit; que unica et

Humilitatis dignitas.

Esclusus.

singularis est medicina omnium morborum tam animæ, quam corporis, omniumque onerum levamen et requies. « Nihil enim asperum est mihi, nil arduum humilibus, » ait S. Leo. Sicut enim lana bombardarum globos excipit, ac sua mollietate impetum eorum infringit; sic mititas et humilitas omnia dura et aspera sua lenitate frangit et mollit: jugum ergo hoc Christi est Evangelium et lex Evangelica, sive lex gratiæ. Unde S. Bernardus, sermone 15 in Psalm. Qui habitat: « Laborantes, inquit, ad refectorem invitat, ad requiem provocat oneratos, non tamen onus subtrahit ad laborem, magis autem onere alio, alio labore commutat; sed onere levi, suavi jugo, in quibus requies aut refectio, etsi minus appareat, tamen invenitur. »

ET DISCITE A ME, QUIA MITIS SUM ET HUMILIS corde (id est « cordis affectu, id est voluntate, » ait S. Bernardus, serm. 42 in Cant., multi enim sunt humiles ore, sed pauci corde), et INVENIETIS REQUIEM ANIMABUS VESTRIS. — q. d. Imitamini meam humilitatem et mansuetudinem: estote mitis et humiles, ac sentietis quam suave sit jugum Dei. Ita S. Chrysostomus et S. Augustinus, sermone De Verbis Domini secundum Mattheum, quem audi: « Tollite jugum meum super vos, et discite a me non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere et mortuos suscitare; sed quoniam mitis sum et humilis corde. Magnus esse vis, a minimo incipe. Cogitas magnum fabricum construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantum quisque vult et disponit superimponere molem ædificii; quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. » Sapienter Climacus, Gradu 25: « Humilitas, inquit, est gratia animæ nominis expers, solis nominata illi qui ejus experimentum ceperunt, inexplicabilis thesaurus, a Deo nomen sortita, singulare munus Dei: Discite, inquit, non ab Angelo, non ab homine, non ex libro, sed a me, hoc est, ex mea in vobis habitatione, illustratione et operatione, quia mitis sum et humilis corde, et cogitatione, et sensu, et invenietis bellorum interiorum requiem animabus vestris, et levamen cogitationum vestrarum. » Et post plura, humilis dotes et fructus hos assignat: « Qui cum hac velut sponsa sponsus copulatus est, lenis, placidus, pronus in compunctionem, misericors, super omnia vero serenus et tranquillus, letus et alacer, obsequens, omnium molestiarum expers, vigil et impiger est, et ut uno verbo complectar omnia, imperturbatus. »

Secundo, et magis genuine Auctor Imperfecti, Maldonatus et Jansenius, quasi dicat: Discite a me, id est ne vereamini ad me accedere et jugum mei Evangelii in collum vestrum suscipere, quin venite et illud suscipite: discetis enim, et reipsa experiemini in me, non esse tyrannum, aut regem severum et rigidum, sed dominum

humilem, mitem, clementem et benignum. Hunc sensum exigit ratio, quam subjicit: « Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. » Et illud: « Et invenietis requiem animabus vestris; hæc enim solus præstat Christus. Porro, Christus tamen fuit humilitatis et mansuetudinis in sufferendis Scribis, discipulis, turbis, injuriis, probris, irisionibus, flagellis, cruce et morte, ut etiamsi nullum fecisset miraculum, tanta tamen mansuetudine sat superque probasset, se esse hominem cælestem et verum Prophetam a Deo missum. Ego sane magis miror divinum Christi mansuetudinem, quam miracula et mortuorum suscitationem.

Moraliter: discite hic, quanta et quam chara Christo sit humilitas. Primo, ex quod sit summa et coronis vite, doctrinæ et perfectionis Christi, q. d. Discite a me non mundum creare, non miracula facere, non subtilia de Deo et sancta Trinitate disputare, non Herculeos labores et facinora patrare, sed quia mitis sum et humilis corde; hic est apex et brevium moræ doctrinæ et Evangelicæ perfectionis.

Secundo, quod humilitas sit sedes pacis: « Et invenietis, inquit, requiem animabus vestris: » nusquam quis animi, nisi in humilitate; vis ergo requiem, amplectere humilitatem, humilem locum, humile officium, humilem victum, vestitum, etc.; impossibile est ut superbus habeat pacem animæ, qui semper majora desiderat et ambulat, ac sæpe assequi nequit.

Tertio, quod humilitas tollit ab homine omnem laborem et omnia onera: « Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, » a labore et onere sublevando: qua ratione, Domine? per humilitatem. « Tollite, ait, jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » Humilitas ergo est levamen omnis laboris et oneris, et refectio vitarum, ut quidam Doctores merito dixerit: « Humilitas est pharmacum contra omnes morbos, ac sanitas animæ et corporis; » morbum enim tollendo lenit et superat. Quin et Hippocrates dixit « τὴν ἀρχὴν πανσθένειαν, hoc est, animalia, que felle carent, ut cervi, sunt longæva; mites ergo et humiles sunt sani et longævi: mansuetudo enim, uti mores, ita et humores contemperat, quos distemperat bilis, unde morbi.

Quarto, humilitas est virtus Christi: « Discite, ait, a me: » hæc mea, mihi propria, mihi præceteris chara est virtus, quam descendendo oculis in imam terram ad extremam paupertatem, ad infamem mortem et crucem ita ostendi, ut nulla sit illustrior et mirabilior in vita et morte mea. Sic ex diverso superbia est peccatum Luciferi. Humilitas ergo facit nos simillimos Christo; quid dignius? quid optabilius?

Quinto, eadem facit jugum Christi suave et leve, et in jugo meo non sentietis pondus, sed

Quam chara humilitas. Primo.

Secundo Humilitas sedes pacis.

Tertio.

Quarto. Humilitas est virtus Christi.

Quinto.



experiemini illud esse suave et leve. Quocirca S. Franciscus dicebat Christum non aliam ob causam e celo in terram descendisse, quam ut nos doceret humilitatem. Vide S. Bonaventuram, cap. De Humilitate S. Francisci.

Præclare S. Augustinus, *epist.* 112: « Qui, inquit, didicerunt a Domino Jesu mitis esse et humiles corde, plus orando et meditando proficiunt, quam legendo et audiendo. »

Denique Christus jungit hic mitem cum humili, quia mansuetudo et humilitas sunt quasi duæ sorores invicem associatae, vel sicut mater et filia. Unde S. Bernardus, *serm.* 2 in illud *Apoc.* XI *Signum magnum*: « Sicut, ait, mater presumptionis est elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit. » Item, de verbis Apostoli, *Nec est regnum Dei esca et potus*: « Mitis, ait, perfert ad charitatem, quia charitas patiens est, benigna et humilis. » *1 Cor.* xiii.

Mansuetudinis natura.

Audi Climacum, *Gradu* 24: « Solem matutina lux aurora præcurrit, humilitatem mansuetudo præcedit. Itaque lucem Christum prius audiamus, quæ eas ita per gradum disponit: *Discite, inquit, a me, quia mitis sum et humilis corde.* » Deinde mansuetudinem ita definit: « Mansuetudo est immutabilis animi status, qui in omni fortuna honorum et contumeliarum æqualem animi habitum conservat. Mansuetudo est pro aliis te perturbantibus sine perturbatione sincere et ex animo preari. Mansuetudo est prominens adversus iram maris rupes, quæ omnes illos succus dissolvit ac frangit, nec ipsa interim movetur aut frangitur. » Denique ejus effectus et dotes per

elogia ita assignat: « Mansuetudo est stabilimentum patientiæ, charitatis janua, imo vero parens, prudentiæ argumentum: *Docet enim, inquit Dominus, mitis vias suas; procuratrix veniæ, peccatorum fiducia in precibus, Spiritus sancti domicilium: super quos enim respiciam, nisi super mansuetum et quietum?* » *Isaiæ* LXVI.

**VERS. 30.** 30. JUGUM ENIM MEUM SUAVE EST, ET ONUS MEUM LEVE. — Jugum et onus Christi est Evangelium, ait S. Hilarius, et Beda et alii. Evangelii ergo lex est jugum, quia disciplina nos alligat, ne quis a justitia discedat; hoc suave Græce est non *gravis*, id est dulce instar sacchari, sed *græce*, id est commodum, humanum, placidum, benignum

Jugum Christi grave.

(Arabicus *bonum*) præ lege veteri: *primo*, quia pauciora et facilliora habet præcepta; *secundo*, quia majorem dat gratiam, quæ valde alleviat onus mandati; *tertio*, quia amore nos regit, ut filios, non timore, ut servos, sicut faciebat lex vetus; *quarto*, quia mortem non intentat nec infert, uti lex vetus, sed aufert; *quinto*, quia promittit sui observatoribus vitam felicissimam, eosque quasi manu ducit ad æternam celestium gaudiorum dulcedinem, juxta illud: « Inebriabuntur ab ubertate domus tue, et torrente voluptatis tue potabis eos, » *Psal.* xxxv, 9. Causam dat S. Paulus, et ex eo S. Augustinus, *serm.*

10 De Verbis Domini secundum Matthæum: « Quia non sunt condigne passionem hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Quare, quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescent amantibus: omnia sava et immania prope nulla facit amor. » Ait ergo: « Tollite jugum meum super vos, » quasi in jugo divinae servitutis perfecta consolatio et refectio includatur. Unde S. Ambrosius, *lib. De Helia et Jajano*, cap. xxii: « Suscipite, inquit, jugum Christi. Nolite timere, quia jugum est: festinate, quia leve est. Non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis? quid procrastinatis? Non alligat cervicem vinculis, sed mentem gratia copulat. Non necessitate constringit, sed voluntatem boni operis dirigit. » Audi S. Bernardum, *epist.* 72: « Libet admirari, quam leve sit onus veritatis, quod non solum non onerat, sed etiam portat omnem, cui portandum imponitur. Hoc onus potuit uterum gravidare virginem, sed non gravare. Hoc onus ipsa quibus se præbuit sustentantur, Simeonis brachia sustentabat. Hoc etiam Paulum in gravi scilicet et corruptibili corpore positum, rapiebat usque ad tertium caelum. » Imo David: « Propter verba, inquit, laborum tuorum, ego custodivi vias duras, » *Psal.* xvi, 4. Ubi D. Augustinus, *lib. De Natura et Gratia*, cap. lxxx: « Dura, inquit, sunt timori, leves amori. »

**MEUM.** — quod scilicet ego Christus vobis impono, sed et vobiscum fero, onerique succollo, imo totum onus et vos ipsos bajulo et porto: jugum enim dicitur, quod duo jumenta juncta subeunt, jugum enim a *jungendo* nuncupatur. Christus ergo jugi, id est legis Evangelicæ unam duntaxat partem collo nostro imponit, alteram et potiore ipse subit, itaque nobiscum jugum hoc trahit, et nobis vires animosque trahendi sua gratia, æque ac suo exemplo suggerit: uti nuper quidam in Japone e Societate Jesu sacerdos, mortem atrocem pro Christo generose obiens, dicebat: « Christus ergo facit computrescere jugum a facie olei, » *Isai.* x, 27. Ex adverso gravia esse onera peccati, ait S. Hieronymus, *Zachar.*, cap. v, dicens iniquitatem sedere super talentum plumbi. Vide dicta utrobique.

Huc facit, quod in vita S. Mechthildis legitimus, *Vita sanctæ Mechthildis* 21. ipsam, cum gravibus capitibus doloribus torquebatur, ut nusquam posset quiescere, audivisse a Christo ostendente vulnus lateris sui: « Nunc intra, ut pauses: » quæ statim cum gaudio intravit. Et visum est ei tot cervicalia serica se habere, quot ictus dolorum tunc sensit capiti suo advenire. Et ait Dominus: « Bombyces sericum gerunt, et de me scriptum est: *Ego sum vermis, et non homo.* Hucusque in laboribus mihi devote servisti, amodo in virtutum exercitiis exemplo meo placitis mihi servire studebis; et quæ tibi fuerint importabilia, ego ea tecum feram. » Hæc ad verbum stylo simplici, sed candido, auctor Vitæ ejusdem.

Jugum ergo hoc Christi non tam jugum est, quam cervical hombycinum, quia non molestia nos premit, sed a pondere rerum terrenarum exonerat et in celos attollit.

Pennis avium simile Christi onus.

Quocirca apposite S. Bernardus onus hoc comparat plumis avium: sic enim scribit, *epist.* 341 ad *Monachos*: « In vita vite quo citius, eo facilius curritur; et leve volatoris onus, quo crescit amplius, eo portabilis. Nonne et aviculae leval, non onerat pennarum sive plumarum numerositas ipsa? tolle eas, et reliquum corpus suo pondere fertur ad ima. Sic disciplinam Christi, sic suave jugum, sic onus leve quod deponimus: eo deprimimur ipsi, quia portat potius, quam portatur. » Et S. Augustinus, *serm.* 23 De *Verbis Apost.*: « Hæc sarcina, inquit, non est pondus onerati, sed ala volatilis. Habent enim et aves pennarum snarum sarcinas. Portant illas, et portantur. Portant illas in terra; portantur ab illis in celo. Tu, si misericordiam velis præbere avi, præsertim æstate, et dicas: Miseram istam aviculam onerat pennæ, et detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui subvenire voluisti. » Et rursum, *lib. De Perfectione justitiæ*, circa med., in fine VII tom: « Laborat, inquit, in Dei præceptis, qui ea timendo conatur implere; sed perfecta charitas foras mittit timorem, et facit præcepti sarcinam levem, non solum non præmentem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum. »

Addit S. Ambrosius, *serm.* 3 in *Psal.* cxviii: « Portare Christi jugum, inquit, suave est, si ornamenta putes cervicis tue esse, non onera. Attolle ergo oculos ad Dominum Deum tuum, et quaere Deum ut invenias. Erige cervicem, redimicula, non vincula geris. Multa quoque animalia redimiculis gaudent, et phalerari sibi magis, quam vinculari videntur. Genas sicut turturis præferant insignia verecundiæ, redimicula cervicis, libertatis attollant fiduciam. Leve est ergo jugum Christi, et ideo cervix eo non premitur, sed levatur. » Non mirum quidem, si jugum illud leve sit, quoniam homini gloriæ cupido omnia gloriosa et honorifica levia et snavia putantur; nihil autem est isto Christi jugo gloriosius.

Denique S. Bernardus, *serm.* 13 in *Psal.* domo *habitabit*, per jugum et onus accipit onus *Donorum et beneficiorum Dei*: quia onus impositæ

legis, gratia donum est, cuius observantia perfecta cætera in animam dona invehit. Audi eum: « Grave onus iniquitas sedens super talentum plumbi. Sub hæc gemebat sarcina, qui dicebat: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravata sunt super me.* Quod ergo onus Christi, quod onus leve? Ut quidem ego sentio, onus beneficiorum: dulce onus, sed ei qui sentit, ei qui experitur. » Et post nonnulla: « Onerat nos, cum exonerat nos Deus; onerat beneficio, cum exonerat peccato. Vox onerati: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Vox onerati: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum.* Vox onerati: *Eri a me, quia peccator sum, Domine.* »

Porro, superbis et carnalibus Christi jugum et leve humilitatis, abstinentiæ, continentiæ, mortificationis videtur gravissima et intolerabilis, quia caret vitæ, nec nisi carnem et carnalia amat et cogitant. Unde S. Bernardus, *tract. De Præcepto et Dispens.*: « Christi jugum, ait, et onus est, et omnino impositabile, nisi Christi æque spiritui; » sed et his ipsis superbis et carnalibus longo gravius jugum est ipsa ambitio, et carnis concupiscentia: « Asperum quippe jugum, » ait S. Gregorius, *lib. XI. Moral.*, cap. xii, « et duræ servitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appellere quidem transientia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiant, quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, post ex pavore amissionis premunt. » Vere S. Chrysostomus, *hom.* 14 in *1 ad Cor.*: « Aspera, inquit, virtus est, si ad imbecillitatem nostram comparetur; nam quod facilis et levis sit, audi Christum testantem: *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Quod si non intelligis, nulla te admiratio teneat, non enim forti animo es: ut enim cum animi vis adest, gravia levia fiunt; sic cum abest, levia gravia. Quid, quæso, manna suavius? quid magis in promptu? ægre tamen fudei tulerunt, cum eo in deliciis vescerentur; quid fame et cæteris, quos Paulus est perpressus, laboribus gravius? gaudebat tamen ille et exultabat, dicens: *Nunc glorior in infirmitatibus meis; quæ igitur horum causa? animi diversitas, quem si quem esse oportet, institueres, facilitatem virtutis dignosceres.* »